




DE  
**VRINIS**  
Tractatus  
Posthumus  
Auctore  
**IOANNE**  
**FREVOTIO**

LXXVII.  
Typis Matthæi Holzetta de  
Cadoris. Sup. Perus.





D E  
**VRINIS**

Tractatus Posthumus

*Authore*

**IOANNE PRÆVOTIO**

In Gymnasio Patavino, olim, Medic.  
Pract. in Prima Sede Professore,  
& Horti Medici Præfecto.

*Ab Eiusdem Filijs*

IO: BAPTISTA, ET THEOB.

*Summa diligentia ex proprio  
Autographo descriptus.*

*& in Lucem Editus.*

**Dicatus**

ILLVSTRISSIMO D. COMITI

**HIERONYMO**

**FRIGIMELICA.**

Med. Pract. Ord. Profess.

Eximio.



PATAVII. M. DC. LXVII.

Typis Matthei Bolzzettae de Cadorinis,  
*Superiorum permissu.*

D. B.  
V. R. I. N. I. S.

Thesaurus Poëticus

Methodus

IO ANNE PRÆVOTIS

Libri primus  
In quo continentur  
omnes poëticæ  
species

Libri secundus  
In quo continentur  
omnes poëticæ  
species

Libri tertius

ILLUSTRISSIMO D. COMITI

HIERONIMO

FRANCOISIA

Med. Præf. O. P. R. O. F. F.

Exar. 1730

1730

TAV. N. DC. LXVII

Paris, chez B. de la Croix

chez la Citoyenne

ILLVSTRISSIMO D.

Patrono Optimo

D. COMITI

HIERONYMO

FRIGIMELICA

Med. Pract. Ordin. Profess.

*Matthæus Cadorinus Bibliopola*

F. P.

**U**olens, dili-

**S**gentissi-

**S**musq; na-

turæ que

sitor Plinius, statuit

multum interesse,

quo fidere quodq;

nascatur, Vis enim

rebus ingenita, que

a 3

mad-



madmodum ab ip-  
sis nature principijs  
promanat, ita pro-  
fecto foetura, & pro-  
uentus superum as-  
pectui, & auspicijs  
imprimis debetur;  
ita, non satis est exi-  
mios partus in lu-  
cem edi, nisi etiam  
propitio Numine  
adolefcant, firmen-  
tur, æternentur.

Fœtum ingenij  
maximi, à summo  
Viro Medico, & Ar-  
chia-

chiatro Ioanne Præ  
uotio partum, meif.  
que typis commif-  
fum, par erat, aufpi-  
cijs paribus edere.  
Proinde Tibi, Illu-  
ftris. Comes, iacra-  
re placuit, vt ab tui  
nominis patrocini-  
o pulcherrimum hoc  
Opus splendorem,  
& eternitatem nan-  
cifcatur. Eccui ma-  
gis debebatur hoc  
Opus, quàm Tibi,  
qui fingulari arte, &

sci-

icientia materiam,  
De Pulsibus & Vri-  
nis, non sine magna  
Medicinæ utilita-  
te, Artis incremen-  
to, & emolumento  
audientium, tot gé-  
tium, & Patauini  
Lycei Alumnis fe-  
liciter interpretaris.  
itaq; Opusculum,  
hoc à cunabulis vin-  
dicatum, raptumq;  
è tenebris, per Te  
elucescet, & diui-  
num Preuotij inge-

niun



nium, Te patrociniante, in hoc Patauino Lyceo denuò reuiuifcet. Quo fiet vt Tu Patauinus magis celebreris Æſculapius, qui Natalium claritudine, magnus, major virtute, non finis mortales perire, & perditos ab orco reuocas. Opusculum ergo hoc, ſed magnū, operamque meam, licet tenuem, qua  
ſoles

Ioles humanitate  
foue. Diu Viue &  
Vale.

ILLVSTRISS. DOM. TVÆ

Cliens deuinctissimu,  
Matthæus Bolzetta  
de Cadornis,



# CANDIDE

Lector .

**V**ox hominem sonat, at diuinum, mystam, imò Æsculapium . Talem certè Patauium , imò Orbis terrarum audiuit, coluitq; IOAN. NEM PRÆVOTIVM, sui seculi præclarum ornamentum. Ille, vt Viris rarò summis contingit, viuis ora hominum meruit, & haud morituram famam post cineres seruat, tum



cùm in eximiis ingenii monu-  
mentis perena et. Hoc itaque  
Opus, vſu magnum, tibi offero,  
**LECTOR CANDIDE**, in  
quo egregia quæq; habentur  
**DE VRINIS**; quarum co-  
gnitio vt in Medicinâ nulla  
magis necessaria, ità ſpero  
tibi fore, non modò Auctoris  
nomine, ſed Operis vtilitate  
commendatiorem. Vale.

DE



D E  
VRINIS  
CAPVT I.

*Quid sit Vrina.*

**V**rina est inutile  
excrementum,  
aquosum, ac se-  
rosum secundæ  
concoctionis,  
per venas, & arterias emul-  
gentes à renibus attractum, &  
per yreteres ad vesicam segre-  
gatum, vt inde opportuno tem-  
pore emittatur, ad custodiam  
vitæ.

Est Excrementum, quia est  
obiectum solius expultricis,  
A nu-

nutritioni ineptum; Nam licet trahatur à renibus, non trahitur tamen per se primo, sed per accidens, ratione sanguinis dilutioris, quo renes gaudent, & aluntur; deinde non mouetur ad renes solo tractu, sed etiam expulsionione iecoris, reicientis eam materiam, vt inutilem, Tertio quia licet solum traheretur, non tamen inde sequeretur trahi propriae utilitatis, & nutritionis causa; quia non est inconueniens puerum excrementum trahi à parte, eius expurgationi dicata, eo solum fine, vt expellatur quemadmodum contingit à contrario multa moueri pulsu, que sunt utilia; nam & spiritus vitalis, & animalis pulsu cordis, arteriarum, & cerebri, mouetur per totum corpus, & sanguis à iecore expellitur in venas, chylus à ventriculo in intestino.



testina. Quod si sanguis, vel humiditas alicuius partis colliquata mingatur cum vrina; id per accidens vrinæ coningit; quæ secundum propriam substantiam considerata est excrementum.

*Est inutile, si sumatur formaliter, quatenus separatim ab humoribus bonis, materialiter enim non est omnino inutile, quia aquositas alimenti, vnde partim vrina constat, est veliculam chyli in venas Hippocr. lib. de alimento.*

*Aquosum, & serosum, quid duplex est vrinæ materia, prima est potus, vbi quæ humidioris aquositas. Gal. 5. de us. part. 6. & 1. de nat. facult. vlt. Vnde multum bibentes multum mingunt, & parū, aut nihil bibentia animalia, vel paucibus vrinæ reddunt, vel penitus vesicaearent. Hæc tamen non*

est sola urinae materia, vt perperam cenfet *Argent. De urin. Cap. 2. Mercurial;* *Laurentius Ioubert*, Secunda est serum sanguinis (massam humorum intellige) sic *Gale. 1. in 1. Epidem. tex. 5.* Urinam vocat serum humorum in venis contentorum. Est autem serum humorum colliquamentum proportionē respondens sero lactis, dum coagulatur. Rectē autem monet *Vales. de Urin. Cap. 1. & 2.* per serum intelligendum esse ipsam colliquamentum, & quod illi necessario permiscetur, puta sal in sanis, excrementa quoque in aegris.

A sero fit vrina salsa natura. *liter 2. sect. problem. 3.* vnde vrina detergit, *Gal. 10. simpl.* & ex vrina fit sal Chymic; ex eadem terre mixta fit salnitrum. Hoc autem non accide-  
re

Ioannis Prauotij 5

ret vrinae, si constaret ex sola aquositate assumptorum.

Præterea fiunt aliquando copiosæ vrinae in morbis, in quibus parum bibitur; denique solius aquositatis ratione, non potest aliquid certi de tot corporis, & humorum affectibus cognosci, cum sola coctione aqua incrassari non possit, & per alterationem tot qualitates acquirere, sine alterius rei permixtione.

*Secunda Coctionis.* Nam si verum est, maiorem vrinae partem esse sanguinis serum in venis, & arterijs contentum, proportione respondens sero lactis concreti, quod renes à sanguine secernunt, & ad vesicam transmittunt, & docet *Gal. 1. de sanit. tuend. Cap. 12.* certè vrina erit potius excrementum secundæ coctionis quàm primæ, quia illud sanguinis colliqua-

A 3 mentum



mentum fit in hepate, & venis, adde in venis suam acquirere formam, quia à iecore secer- nitur, adiuuante renum tra- ctione.

Hinc licet totalis secretio se- ri à sãguine fiat in renibus, qua- vrinae tandem nomen acquirat unde antea tenue, & aquosum excrementum diceretur, vt pla- cet *Argenterio*, non est tamen simpliciter excrementum re- num, atque adeo tertiã coctio- nis, quia prius formam suam acquirat in iecore, & venis, & inde tanquam inutile expelli- tur, licet non omnino secretũ sit à sanguine, quo renes alen- di sunt. Neque potest dici ex- crementum primã coctionis, & placuit *Argenterio*, *Mercu- riali*, *Salust. Saluiano*, quia li- cet tenue excrementum stoma- chi, & potulenta humiditas vrinae tandem accedat, vt ma-  
beria.

teria, quia tamen miscetur chylo illique deuehendo in venas seruit, non est propriè excrementum, priusquam ab illo secretum sit.

Quod si pertinacius tueare, non esse deratione excrementi, vt actu sit separatum, non male statuas vrinam duplicis coctionis esse excrementum, cum ex duplici materia constet. Altera aquosa; quæ supeditatur à ventriculo neque semper ad iecur penetrat, sed aliquando per vas breue, & lienem in arterias emulgentes, indeque ad venas peruenit, perquam viam aquarum thermadium potus magna ex parte ad renes cito deportatur; quæ tamen humiditas cum non sit rei concoctæ reliquia, & superfluitas, sed Medicamentum, propriè non dicitur vrina, & excrementum, sed lato modo, qua

-1188 A 4 ratio;

ratione, excrementum dici potest omne id, quod non retinetur in corpore, sed ab eo tanquam inutile expellitur; Altera serosa, & ichorosa; quæ fit in iecore, & venis.

Nec obijcias; Duo tantum excrementa gigni in qualibet coctione, Crassum, & Tenue, hoc autem in iecore, esse bilem ergò urinam ad aliam coctionem pertinere. Nam. Respondetur, tenue excrementum duplex esse posse, Calidū vnum, quod est bilis, & Frigidum, ac quosumue, quale est urina.

*Per venas, & Arterias emulgentes à renibus attracta.* Cum enim functum est serum officio deuehendi sanguinem, repurgatur ad renes duplici motu, expulsionis venarum, arteriarum, & iecoris, & attractionis renum. Vnde sudor, qui ex eadem materia constat, homini natu-



naturalissime constituto eruna  
pere non debet, sc̄m serum natu  
ralius ad renes, quam ad cu  
tem expurgetur.

*Per Vreteres ad Vesicam se  
gregatum.* Eo segregatur mo  
tu præcipue renum appellen  
tium, adiuuante fortasse attra  
ctione vreterum, & vesicæ, in  
qua aliquamdiu continetur, ne  
homo in continua mictione vi  
tam nimis sordidam ageret,  
donec vesica vel pondere gra  
uata, vel acrimonia stimolata,  
inutile pondus excutere tan  
dem cogatur.

## CAPVT II.

*De Vrinarum differentijs, &  
Singularum Causis, ac  
Signis.*

**C**Ognita vrinæ natura, de  
inceps inuestiganda eius  
**A** **S** **dem**



dem differentia, vt perceptis earum caussis tandem pateat, quantum habeant singule momenti, vel ad significandum corpori affectum, vel prædicendum ea, quæ sano, ægroq; corporis ex interna humorum dispositione impendent.

Urinarum differentię sumuntur à tribus; substantia, quantitate, ex qualitate; quorum extrema faciunt differentias magis proprias, & essentielles, quia natura coëctonis opus, & gradum mutatione coloris primo manifestat: deinde in substantia, seu consistentia urinae absolutum ostendit. Substantia duplex est; alia propria, ipsemet nempe urinae liquor, græcis *ουρίον*, alia impropria, & aduentitia, quæ liquori adhæret, Græcis *παρυσικάμυρον*, latinis contentum.

*Differentia à propria substantia*



*Substantia*, Propria substantia, consideratur secundum *suavitatem*, seu consistentiam, quæ licet modum quantitatis, & materiae significet, solet tamen à Medicis substantiæ nomine appellari, quia sensibilis substantiæ conditionem, (nam materiam, cuius merito accidentia sensibilia sustentantur, proximè comitatur quæritas illi coeua.) magis refert, quam vllum aliud accidens. *Consistentia* autem accidunt, tenuitas, crassities, claritas, turbatio, atque opacitas; vndè fiunt, *vrina* tenuis, crassa, & inter has mediocris, item clara, & turbida *vrina* cuius quædam species est confusa.

*Tenuis* est quæ ferè ex aquosa, & potulenta materia constat, serosa verò, & salis, quod in hepate, & venis secernitur, vel etiam alterius humoris, ni-

hil,

hil, aut parum admistum habet. *Argenterius* supponens a quositate illam esse materiam urinae, male statuit urinam naturam suam semper esse tenuem, fieri autem crassam humorum permixtione, sic enim omnis sanorum urina esset tenuis, quod falsum est.

*Causae* urinae tenuis sunt, primo debilis coctio venarum, i.e. coris, & ventriculi, cuius error à secunda coctione non corrigitur, quamquam à calore excedente etiam fit tenuitas, non tam, quia calor excedens coctionem impedit superato naturali calore, quam, quia colliquando sanguinem plurimum ichoris gignit, unde urinae naturalis consistentia nimium diluitur. Secunda, copia potus, ciborumque praehumidorum. Tertia, frigiditas renum, ob quam non attrahitur

serum

ferum, nequè à sanguine re-  
purgatur. Tenuis simpliciter  
considerata quatenus est natu-  
rale excrementum fit à triplici  
causa, vitio efficientis, vitio as-  
sumptorum, vitio renum san-  
guinem depurantium. Tenuis  
secundum quid considerata ra-  
tione aucti excrementi, quod  
cum vrina expurgari deberet,  
fit à triplici causa, prima, Va-  
forum angustia secunda prauo  
motu humorum sursum, tertia,  
& retentionem excrementi, vel  
ob præsentiam calculi, cui ad-  
hærescunt, vel expultricis debi-  
litate, vt in malignis febribus  
accidit, quarta obstructio, & an-  
gustia vasorum per quæ vrina  
percolatur, ab hac causa fit re-  
nuitas, non quæ naturaliter ad-  
uenit ex inconcoctione, & de-  
bita serosi humoris admixtio-  
ne, sed quæ vrinæ factæ adue-  
nit ex crassiorum humorum  
per-



permixtione, h̄i liquidem colatura separantur, quinta est ichoruu, aliorumque humorum aquositati antea permixtorum ad alias partes motus, uti caput sexta est expultricis imbecillitas, aut presentia calculi vesicæ.

*Prognōstica.* Quæcunque tenuis est cruda, sed omnium maximè talis propter inconcoctionem. In acutis, cum virium robore, longitudinem, cum imbecillitate mortem portendit, & acrisias, vel imperfectas crises, & per abscessum. Quæ talis redditur couersione humorum ad alias partes, minatur delirium. 4. Aphor. 27. In malignis febribus, si prius crasse, apparentes clarescant, significant extinctam facultatē, eoque nomine hærentia in interioribus visceribus, & vasis

excrementa,

*Crassa*

Ioannis Praenotij. 15

*Crassa est*, quæ præter a quo-  
sitatem multum serosæ humidi-  
tatis, aut aliorum etiam humo-  
rum admistum continet, *Valesi-  
us* urinam crassam non distin-  
guit à turbida, nisi penes ma-  
gis, & minus, quod turbida  
sit extremè crassa, atque cras-  
sum cum perfectè miscetur re-  
manere mediocriter tale, cum  
confunditur, magis crascesce-  
re, & turbari.

At licet id videatur innuere  
*Gal. 1. de cris. 12.* idem tamen  
differentiam agnoscit inter vri-  
nas crassas, & turbidas *nam. 1.  
in 3. Epid. text. 5.* ait urinas  
crassas illius ægri, quæ non sub-  
sidebant fuisse ex conturbatis,  
& turbidis. Ergo alias, agno-  
uit crassas, quæ non sunt turbi-  
dæ. Et *Hippocr. 3. Epid. sect.  
3. t. 72.* scribit ægrum min-  
xisse urinam quidem crassam,  
sed turbatam, ergo innuit cras-  
sam.

nam esse posse, quæ non sit turbata, Id probat experientia: nam multa sunt crassa, & clara ut vitrum, oleū, albumē oui, & contra, aqua tenuis potest esse turbida. sic multæ urinae apparent claræ, & crassæ, & multæ turbantur, quæ redditæ sunt, aut crassæ, aut tennes, sed claræ.

Fit urina crassa admixtione materiæ crassæ, pura crudorum humorum in venis contentorum, quæ à natura seu stimulatâ, seu vincente expelluntur, operâue Medicamentorum à locis obstructis deportantur, aut puris ex disrupto abscessu, aut renum ulcere. In morbis materialibus fatius est urinam vergere ad crassitiem, quam tenuitatem, quia minuitur saltem ea ratione causa peccans.

*Prægnostica.* Quæcumque crassa in principio vniuersali  
cruda



cruda est, per se denotat longi-  
tudinem: per accidens mortē,  
cum virium debilitate, & co-  
loribus prauis.

Si prius fuerit turbida, signi-  
ficat caloris naturalis prædo-  
minium. In declinatione vni-  
uersali est bona, & decretoria.

*Mediocris* inter tenuem, &  
crassam est, quæ tantum illius  
ferosi excrementi aquosæ hu-  
miditati permixtum obtinet,  
quantum ferè in naturali con-  
stitutione corporis admisceri  
solet, quod cum in corpore  
sano sit in mediocri quantita-  
te, fit, vt vrina, nequè planè te-  
nuis sit, vt aqua, nequè tam  
crassa, vt ea vrina, cui vitiosi  
humores admiscentur.

Huius ergo consistentiæ me-  
diocris causa est calor inculpa-  
tus, probe concoquens, & su-  
perflua secernens, expellens-  
que. Quare in sanis constan-  
tem

sile

tem

tem denotat valetudinem, in  
 ægris citam salutem.

Cœterum, quemadmodum  
 hæc mediocritas in sanis æsti-  
 manda est penes naturam cu-  
 iusque individui; ita in ægris  
 mensurabitur eius recessus, fa-  
 cta comparatione non ad me-  
 diocrem urinam cōuenientem  
 homini sanissimo, sed eam, quæ  
 cōueniebat individuo ægro,  
 tempore valetudinis, qua antè  
 morbum fruebatur. Itaque in  
 iuvene bilioso, urina vergens  
 ad tenuem, æstimabitur medio-  
 cris, in puero, muliere, & sene,  
 mediocris verget ad crassius.

*Turbida*, seu *perturbata*,  
 urina est, quæ caret perspi-  
 cuitate, quam visus penetrare  
 non potest, cui opponitur Cla-  
 ra, quæ perspicua est, seu per-  
 curus medium videmus.

*Turbida* est triplex. Alia miq-  
 gitur Clara, postea turbatur:

alia

alia mingitur turbida, postea  
 clarescit; alia mingitur turbi-  
 da, & talis permanet, adeò vt  
 nullius contenti separatio in  
 ea unquam appareat, quam ob  
 causã confusa vrina quibuldã  
 dicitur, alii subiugalem vocat.

Turbationis non vnica pro-  
 ponitur causa, Prima. *Galenus*  
*1. de crisib. Cap. 12.* Statuit per-  
 turbari vrinas ab oermixtionẽ  
 flatuosi spiritus, exemplo vini  
 noui ebullientis, & veteris in  
 vappam conuersi, ex qua sen-  
 tentia scribit *Capsu.* turbidas,  
 tales permanere, quando mi-  
 scentur flatus crassi, & copiosi,  
 à quibus materia descendere  
 & subsidere prohibetur, turbid-  
 as vero postea clarescere,  
 quando flatus copiosi ita sunt  
 attenuati, vt facile exhalent,  
 ideoque separationis excremẽ  
 torum impedimentum remo-  
 ueatur; Claras autem mingi,



postea turbari, quando naturalis calor materiam agitare, & concoquere incipiens flatus eleuat, qui postea ab ambiente aucti vrinam turbant.

Verum hæc non videtur esse causa adæquata turbationis. Nam vrina conualescentium, quæ clara mingitur, sæpe turbatur, & facilius turbatur in declinatione morborum salubrium, qua eorundem principio, & augmento vniuersali, absurdum autem est dicere vrinas illas habere plus flatuosæ materiæ, quam in morbi cruditate, aut si habent cur turbidæ non minguntur? deinde cur flatuosus spiritus vrinæ in loco calido positæ non erumpit? atque a deo non euanescat turbatio?

*Secunda Mercurialis cap. 6.* refert causam turbationis in admixtionem crassi, & obscuri  
cor-

corporis, quod si viscidum sit,  
ac tenax, & exactè comisce-  
tur, quod fit, cum miscetur vri-  
næ, quo tempore elaboratur,  
vrinas sepe reddit turbidas, si  
nequè perfectè misceatur, cum  
nimirum permiscetur vrinæ iã  
elaboratæ, neque sit viscidum,  
vrinas clarescere, quia vel cor-  
pus propria gravitate fundunt  
petat, vel caloris externi ope  
separetur in aliquam speciem  
contentorum. Claram autem  
vrinam, quæ postea turbatur,  
vel fieri ex cruditate permix-  
tione multij vaporis crassi, qui  
postea condensatus, turbet il-  
lius perspicuitatem, vel fieri à  
calore præter naturali, qui red-  
dat vrinam perspicuam, quo  
postea abeunte, etiam amitta-  
tur perspicuitas.

Verum in hac sententia non  
rectè exponi videtur causa  
turbationis vrinæ claræ. Nam

cum

cum in aere calido turbatur, quid vapores illius crassos addeò condensat? si calor præter naturalis tribuit perspicuitatē, cur urinae clarae etiam redduntur, & perspicuae ubi dominatur frigus?

*Tertia. Senn. de Saxo* recipiunt eam causam urine turbidæ, quæ aut talis permanet, aut postea clarescit; sed de clara, quæ postea turbatur aliud ratiocinantur. Statuunt ergo *ex Io. Baptista Montani* sententia, Urinam in sanis reddi claram, & postea turbari, quando remanet aliquis crudus humor in venis, qui semicoctione claritatem aliquam acquisierit euanescente verò calore ab aeris frigiditate, & euanescentibus spiritibus urinam turbari. In hoc tamen *Montanum*, arguunt, quod perspicuitatem spiritui potius tribuat, quam calo-



Ioannis Prætorij. 282

caloris serudos succos per co-  
ctionem æquantur. At in ægris  
urinam claram postea turbari  
quãdo misceri incipit, sed mix-  
tione nõ perfecta materia cru-  
da, aut putrida, magis, ac ma-  
gis serpente putredine.

Quarta. Argenterius nullam  
urinam postea turbari ait ab in-  
terna causa, sed tantum ab ex-  
terna, & tamdiu claras reman-  
ere, quamdiu ab interna cau-  
sa reguntur. Cui aduersari hoc  
videtur, quod eius hominis ur-  
ina in eodem aere alias cor-  
rumpitur, alias non corrupi-  
tur, & urinae diuersorum in  
eodem loco partim corrupun-  
tur, partim nõ corrupuntur.  
signum profecto causam turba-  
tionis non externo tantum aere  
ri, sed propriæ etiam urinae  
constitutioni deberi.

Quinta, Quid, si clarius, &  
vniuersaliter dicamus, causam  
turba-

-liqua

turba.

turbationis adæquatā esse duplicem, aliam naturalem, per mixtionem nimirum crassæ, & terrenæ materiæ, vnde omnis opacitas prouenire videtur, aliam efficientem, nempe calorem agentem, ac miscentem illam materiam liquori urinx. Fit ego perspicua, quando calor in materiam agens, eam attenuat, æquat, vndique permiscet, itaut dominantur materiæ, ac propterea contineant humidum cum sicco: fit turbida, quando non dominatur, neque optimam facere potest per mixtionē, nam in eo casu multiplicantur corporis crassioris superficies, vndè impeditur radiorum proiectio, vt videtur accidere in vitro, & crystallo puluerizato, quod accidit, vel quia obruitur multitudine materiæ, seu quiescentis, seu à flatribus permixtis, aut irritata

expul-

expultrice, aut præter naturam  
agitata, vel quia eius prauita-  
te, & venenositate resoluitur,  
vel quia à contrario frigore a-  
liquam noxam est passus, & re-  
missus.

Itaque vrina reddetur tur-  
bida, vel calore agente in mul-  
tam materiam crassam, & vri-  
ne permiscente, seu iam ala-  
borate seu cum elaboratur,  
vel crescente putredine, &  
impedita concoctione, cuius  
loco succedit inquinatio, vel  
debili calore agente in crassa,  
licet non multa excrementa.  
Remanebit turbida, si exacta  
sit confusio, facta in loco, &  
tempore elaborationis vring.  
Postea turbabitur, quando mi-  
sleri incipiet crassamentum,  
quod prius non miscebatur, &  
vel à debiti calore regetur,  
qui facile euanescere possit, vt  
accidit augmento vniuersali

B fe-



februm, vel à forti, qui frigore ambientis necessario corrumpatur, vt accidit in sanis, & conualescentibus; Postea clarescet, quando, vel materia non probè mixta suo pondere subsidebit, vel calor fortis, & dominans materiã urinae mixtam expellet, tunc enim in caloris dominantis separatur ætherogenea, quæ agitationis, & concitatæ expultricis tempore separari non poterant, & necessario confundebantur.

*Prognosis.* Hinc patet ab urinis turbidis nihil sine accurata causarum distinctione significari posse, aut prædici oportere; quæ distinctio potissimùm sumitur à calore coniuncto, virium vitalium robore, & accidentibus comitantibus.

Itaque urina turbida confusa in principio, & augmento vniuersali semper est mala, &  
cum

cum virium robore, morbi longitudo, cum imbecillitate mortem significat, quia vires debiles multam materiam coquere non possunt, à venenata verò citò resoluuntur.

In statu cum virium robore incipitem exitum cum imbecillitate, & vehementia symptomatum mortem portendit. Decretoria vrina turbida apparere potest in statu, sed non remanet cōfusa, & post mictionem aliqua ratione clarescit à calore dominante. Itaque necessario confusa remanet non ab interna dispositione, sed ob ambientis conditionem, si contingat non clarescere.

Turbida, quæ clarescit, cum bono calore, & virium robore significat actionem caloris naturalis iam præualere, ac dominari incipientis materiae, idè significat bonum, & cū

exitū mali, ac ferè declinatio-  
nem vniuersalem propinquā  
denorat. At cum prauo colore,  
& virium imbecillitate, signi-  
ficat tantam copiam humoris  
crassi suo pondere subsidentis,  
vnde expectanda, vel diutur-  
nitas morbi, vel etiam mors, si  
iuncta sint graua accidentia.

Quæ post mictionem turba-  
tur (nisi proueniat vitio aeris  
frigidioris) in sanis, portendit  
ægritudinem. In ægris, in prin-  
cipio, & augmento vniuersa-  
li cum prauo colore, & virtute  
debili est lethalis, & significat  
crescentem iniquationem; ;  
cum bono colore, & virtute  
forti, significat paulatinam ex-  
crementorum expulsionem, at  
que adeo est bona, & talis in  
declinatione vniuersali fre-  
quenter apparet, vnde vulgari  
proverbio dicitur, *Quando l'Or-  
rina si guasta, l'amalade si accon-*  
*cia,*



cia. Hanc dicit Gal. 1. Cris. 12.  
esse reliquis deteriore, quod  
simpliciter non est verum, nā  
data paritate, hęc significat in-  
cipientem corruptionem, tur-  
bida verò iam factam, at vera  
est de turbatione à caloris ex-  
pellentis prædominio; nam  
clara quæ turbatur, significat  
principium tantum expulsio-  
nis, quod fortius indicatur à  
turbida.

Hæc de differentijs à substā-  
tia propria vrinae.

CAPVT III.

*Differentia Vrinae ab eius  
qualitate.*

**Q**ualitates propriae vrinae  
substantia accidentes,  
vnde differentia su-  
muntur, sunt potissimum co-  
lor, & odor. Colori adnecti-



tur splendor, & huic opposita  
 obscuritas, quæ à perspicuitate,  
 & ei opposita opacitate, seu  
 turbatione in eo differunt, quod  
 perspicuitas materiae conditio-  
 nem sequitur, licet sine lumine  
 actu non appareat, splendor  
 verò potius sequatur conditio-  
 nem formæ accidentalis, idest  
 coloris, cuius actus est lumen.  
 Unde videre est corpora per-  
 spicua non splendida, vti est  
 aqua, vrina tenuis cruda, &c.  
 quemadmodum alia multa  
 splendent, quæ non sunt perspi-  
 cua, vt corpora densa, quorū  
 polita superficies, acceptum  
 lumen reflectit. Itaque a splen-  
 dore quoque non inutilis sta-  
 tuetur differentia diffinita à  
 perspicuitate,

De



De Coloribus, & splendore  
urinarum.

**Q**uamuis multiplex sit vri-  
nae color sex tamen praecipui observantur  
in urinis, ad quos alij, minus  
frequentes, pro maiori, aut  
minori participatione extre-  
morum, & aliorum quatuor  
intermediorum, quodammodo  
reuocari possunt. Duo extre-  
mi sunt albus, & niger λευκου  
κρωμικ Μελαν. Quatuor inter-  
medij λευχρον pallidum, ερυθρον,  
rubrum, vnde urinae suas  
denominationes sumunt. Quod  
in genere quaeritur de horum  
colorum in urina, causis, an so-  
la alteratione indui possint va-  
rii colores, an etiam requira-  
tur alienae substantiae admixtio;  
sic determinandum videtur,  
veros colores ex sola altera-

B. 4 tione

tione aquosæ urinae partis pro-  
 ficisci non posse, sed pendere  
 ex permixtione feri, salis ma-  
 teria, aliorumque huic admix-  
 torum. Itaque cum urina con-  
 stituatur ex aquositate, & sero,  
 dicendum ab urina sine alteri-  
 us materiae admixtione, sola  
 alteratione varios contrahi pos-  
 se colores, à quibus viscerum  
 intemperies denotetur; longe  
 autem maiorem fieri variatio-  
 nem à permixtione humorum,  
 ac propterea ab urinis adhuc  
 evidentius, & magis imme-  
 diatè significari succorum af-  
 fectiones, quam viscerum sta-  
 tus, cum absque viscerum af-  
 fectione, ob varios errores ex-  
 ternos varia fieri possit in hu-  
 moribus permutatio. Nunc  
 singulorum colorum causas, &  
 significationes exponamus.

Alba urina, est duplex; alia  
 est talis priuatiue, cui nihil mi-

sce-

scetur à quo tingi possit; alia  
est talis positivè, quæ alba red  
ditur ob albæ substantiæ per-  
mixturem,

*Alba* privationè dicitur à  
Galen. ὑδαζώδες, aquosa ab  
*Actuario Crystallina*, quia a-  
quæ puræ colorem refert, a-  
dèd vt colorem aquæ exacte  
non seruet, sed remissæ fiat al-  
bedinis, vt color est vini albi  
tenuissimi, & aquæ in quâ pa-  
rum bilis, aut ochræ inieceris.  
sed non tantum, vt aquam tin-  
gere valeat. Alba vrina priva-  
tiue, cum sit tenuis, habet eas-  
dem causas, nempe coctionis  
imbecillitatem, (hecoris, & re-  
num obstructionem, prauum  
bilis, quæ vrinam tingebat, ad  
partes superiores motum) pot-  
tus abundantiam. Hæ duæ  
cause non faciunt vrinam al-  
bam simpliciter, licet faciant  
tenuem, siquidem, vrinæ aque

B 5 fitas



fitas naturaliter habet aliquem colorem, à falsa serofitate, quæ est altera pars urinx; neq; percolationem, & per vias arctiffimas omnino separatur ab aquofitate; adeò vt ad urinas priuatiue albas tantum cõcurrant aliæ quatuor causæ; cõtionis imbecillitas, potus copia, calor immodicus renum, & vesicæ calculus; .

His addendæ aliæ due, Nimiã caliditas renum, & Hepatitis, aquofitatem celerius ad serapiens, quam, & concoqui, & sero misceri possit, & calculus renum, & vesicæ, quia crassamentum urinx subsidet, lapidique adhærescit remanetque tenuissimum ad excretionem.

*Eius prognostica sunt eadem, quæ urinx tenuissimæ.*

*Alba posticè, necessariò est crassa, eaq; duplex, Alia dicitur Actuario Lactea, quæ est à diaplane.*

plana, & Turbida, Alia est Cras-  
 sa tantum, non omnino careus  
 perspicuitate. ( Hoc Anno  
 1627. Mense Iulij, cōsului cum  
 Crarissimis Viris Benedicto  
 Syluatico Equite, & Hyeroni-  
 mo Sabiono pro D. N. N. De  
 Carbonibus virgine. 16. an-  
 norum Patauina, quæ à reten-  
 tis menstruis reddere cæpit v-  
 rinam lacti similem, & ex uena-  
 bis secta educus est sanguis di-  
 lutionis coloris, qui statim con-  
 crescens quamplurimam feri  
 continebat portionem ita simi-  
 lis lacti, vt sanguis missus totus  
 lacteus appareret Incidit infe-  
 brem cum notis malignitatis,  
 à qua, beneficio aperientium,  
 & alexipharmacorum liberata  
 est. Colorem fieri iudicauimus  
 ex quadam crudioris sangui-  
 nis. circa vterum corruptione  
 puri analoga, quia veri puris,  
 lactis, & seminis nulla erat sut-

B 6 picio.

incipio, neq; aliquod viscidum  
subsidēs, aut cōcrescens cerne  
batur, quod pituitā argueret.

*Lactea* fit notabili admix-  
tione substantiæ albæ, puta pi-  
tuitæ, seminis, puris, vel mate-  
riæ puri analogæ. *Crassa* tan-  
tum à minori pituitæ mucosæ,  
aut vitreæ permixtione oritur.  
Vtraque est cruda, & inconco-  
cta, & in principio, augmen-  
toque vniuersali, longitudinē  
denunciat, in statu, cum aliis si-  
gnis bonis, est decretoria. In de-  
clinatione vniuersali est opti-  
ma. Quæ fit à pure, aut semi-  
ne, particulares habet signifi-  
cationes.

*Pallida* vrina dicitur Græ-  
cis ὀχρῶς, quia ochræ, terræ co-  
lorem refert. *Attuarius* spice-  
am vocat, alii *Palearem*, quia  
spicæ maturæ, & paleæ anti-  
quæ colorem, ochræ congenere-  
m æmulatur. Ad hanc reuo-

incipio

B

tur



catur *Subpallida*, Galeno *creta*  
 p<sup>o</sup>. *Actuario* *subspicea*, quæ  
 remisso pallore à priori differt,  
 qualis esset, si aquæ puræ tantū  
 ochræ admisceatur, vt eius co-  
 lor aquæ colorem superet.

*Pallida* fit, aut permixtione  
 multæ bilis pallidæ vnde etiā  
 leuiter crascescit, aut permixtio  
 ne flauæ bilis in exigua quāti-  
 te, vnde tenuitatem, vel me-  
 diocrem consistentiam retinet.

Si verum est *Auream* vrinam  
 sanissimi corporis fieri sine per-  
 mixtione bilis à solo seroso, &  
 falso excremento; ratio suadet  
 à minori eiusdem falsi, & sero-  
 si excrementi portione, & ela-  
 boratione fieri posse vrinam.

*Pallidam* sinæ mixtione bilis,  
 propterea ab hoc colore tan-  
 quam bono, & proximo colo-  
 ri perfectissimo argui bonitatē  
 coctionis accedentis ad perfe-  
 ctam. Nam vrinæ, vt docet *Ar-*

aud

gen

generius colorem capiunt, vel ab humorem similiter colorato, vel ab eo, qui intensiorem habet colorem in minori quantitate admisto.

Intensior enim gradus coloris aqua dilutus, remissior em colorem inducere potest; at remissior color, quantumvis magna quantitate admixtus, intensiorem producere nequit.

*Subpallida* urina fit, cum, vel minimum flava bilis, vel non omnino multum pallida permiscetur. Unde necessario tenuitatem retinet, quæ tamen ad mediocrem consistentiam vergat.

*Subpallida* obscuram, *pallida* manifestam coctionem denotat, atque a deo est color bonus. Est autem commune, *Gal. pronuntiatus 3 in 1. Epidem. com. 27.* colorem bonum urinae polliceri securitatem in febribus;

bus; sed cum securitate longi-  
tudinem, si sit tenuis, aut cras-  
sa. Huic tamen pronunciato  
addendum videtur, bonum co-  
lorem promittere securitatem  
si correspondeat pulsus vitalis:  
virtutis iudex: Nunc accidit  
hominem interire iu. febribus  
malignis cum vrinis benè co-  
loratis.

*Flammea*: vrinae colorem  
præfert ignis, seu clara flam-  
mæ, vnde etiam nomēs traxit.  
Talis color cernitur quoque in  
citro bene maturo, & auro pu-  
ro, vnde vocatur etiam Citri-  
na, *Fulua*, & *Actuario*; *Aurea*,  
Non desunt, qui Rufam nomi-  
nant, & vocent  $\pi\acute{o}\rho\rho\acute{o}\varsigma$ , quod  
propriè flammeum significat,  
per Rufam interpretantur. Vn-  
dè Ruffa vrina: erit duplex a-  
pud Auctores, alia similis co-  
lori capillorum rubrorum, &  
pertinet ad rubram, alia simi-  
lis



-lis colori auri iam dicto, quæ  
-tanto dilutior est flauo, quâto  
-flauus dilatior rubro, & planè  
-medius inter flauum, & palli-  
-dum, tanto scilicet albidior fla-  
-uo, quanto pallidas est albidior  
-citrico.

Ad hæc refertur ὑπόχρῶρος,  
id est *subigneæ*, seu *subfuluæ*,  
aut dixerim *subcitrina*, & cum  
*Actuario sub Aurea*, qualis co-  
-lor est in auro non purissimus,  
-citroque decoloratori.

Causa aurei coloris ex com-  
-muni sententia est permixtio  
-flauæ bilis in paulo maiori  
-portione, quam conueniat  
-ad tingendum pallido colore,  
-sed non in tanta, quæ facere  
-possit flauedinem. Vnde talis  
-color apparet in sanis, tempe-  
-ratis, & ætate florentibus,  
-quia in his neque minis calida  
-est bilis, nec maiori copia ge-  
-neratur. Sonnertus hanc causã

non

non reijcit, sed aliam proponit etiam, vt probabilem, aureum colorē aduenire vrinae ex permixtione æquabili, & naturali (quæ optimam coctionē sequitur) serosi, & salis excrementi, quod est altera vrinae pars materialis. Probat exemplo lixiuii quod ratione cineris eo colore tingitur, & quia spiritus vini aliique liquores aureo colore tinguntur permixtione salis corallorum, aliorūque salium Chymieorum. Denique non credit fieri posse, vt lintea in aurea vrina diū relicta nullatenus tingeretur, si is color à flauæ bilis permixtione ortum traheret. Sed hæc lis ad praxim nihil conducit.

Verisimile est aureum colorem hominis tēperatissimi fieri à solo seroso, & salso excremento, quia in hoc homine (si talis daretur) seruari deberet omniū

humo-

31081

humorum, & excrementorum iuxta proportio; itaque præter bilem, quæ naturaliter ad cystim felleam, & duodenum transmittitur nihil superesse debebat, quod per urinas expurgari posset, atque urinam tingere. Sed in aliis sanis corporibus, quæ ab hoc exquisitissimo temperamento recedunt, cum excelsus fiat versus caliditatem, satis tamen moderatam, plus bilis generatur, quàm ferat exquisita humorum proportio; itaque urina tingitur hoc colore à reliquiis, quæ ad naturalia sua conceptacula non repurgantur, atque ita probabilius censeo aureum fieri colorem permixtione aliqua bilis flauæ, quam à simplici sero, & sale.

Constat enim hunc colorem esse omnium optimum, & perfectam denotare coctionem, in  
sanis.



sanis, ægrisque, corporibus, atque adeò vel constantem valetudinẽ, vel citam salutem. Itaque hic color neque consistere potest cum crassitie, neq; cū tenuitate, sed mediocrem habet consistentiam. *Valesius*, admittit *subruffam* crassam, quando vrinæ crassæ, & albæ miscetur multa bilis. At si pallida est, quomodo rufus color inde fiet? Melius diceret subrufum fieri posse ex mixtione rubræ bilis cum vrina alba subaurea autem ad tenuitatẽ uergit, quæ in bilioso corpore, mediocris cõsistentiæ loco haberi debet.

*Flaua* Vrina colorem habet fulua intensiorem, & vt *Gal. ait 1. cris. 12.* splendidiorẽ, mediumq; inter fuluam, & rubrum; qualis est color astrorum, & aquæ croci floribus alterata, vndè ab *Actuario*, *Crocea* dicitur. Huc pertinet sub-  
flaua,

*flava, Actuario subcrocea*  $\alpha\pi\alpha\theta\epsilon\upsilon$   
 $\theta\omicron\varsigma$ , media inter coloré flauum,  
 & fuluū, qualis color cernitur  
 in foëminarū capillis, & matu-  
 ris frugibus, & ex Actuario, in  
 aqua carthami florib. alterata.

Et hic color crassitiem non  
 compatitur, sed vel mediocrē  
 consistentiam, vel ab ea mini-  
 mū recedentē, non tamen cras-  
 sa, aut simpliciter tenuem. Fit  
 permixtione flauæ bilis satis  
 copiosæ, (aut eiusdem adustæ,  
 & ad rubedinē vergentis mix-  
 tione in exigua quātitate.) Fit  
 etiam à causis externis, vti sū-  
 pto croco, & rhabbaro. *De-*  
*notat* vrina flaua insignem ie-  
 coris caliditatem, tantoq; intē-  
 siorem, quanto splendidior ex-  
 titerit. In iuvene, & æstiuo tem-  
 pore, cum virium robore non  
 est mala, & manifestā denotat  
 coctionem; subflaua autem ad  
 perfectam proximè accedit, &

per-



perfecta haberi potest in corpore calido, & sicco, praesertim si magnus splendor absit.

Rubra vrina est Gal. 2. proth. 2. 25. triplex, nempe, intense Rubra, εἰσροθρου; Rubra ερυθρου; Subrubea, ὀπυροθρου. Ad has differentias reuocantur facile vrinae rubrae ab aliis excogitatae, siquidem diuersi rubedinis gradus suam habent latitudinem. Itaque ad rubram referetur vrina sanguinea, seu Cruenta, Ad intense Rubram, purpurea, vinea, passea; ad subrubram denique pertinebit, Rosea, dicta a similitudine rosarum pallidarum, item Rusta, similis capillis illorum qui rufi appellantur, & subrufa, quae a rubro magis versus flauum tendit. Horum colorum nullus in vrina tenui cerni potest ex Actuario. Valesius recte admittit vrinam subrubram tenuem ab exigua sanguinis permixtione.

At



At quæ à bile fit rubra, necessario videtur esse crassa, cum parua huius quantitas non sufficiat ad impertiendum colorẽ rubrum. Atque hi rubedinis gradus à duplici causa fiunt, à sanguinis, aut bilis per adustionem ad rubedinem versẽ maiori, aut minori admixtione. Nam quod leo *Roganus lib. 2. de urin. cap. 4.* contendit à solo sanguine hunc colorem fieri flauumq; colorem, cum à minimo calore aduritur, medtos colores suscipere, antequam ad nigredinem conuertatur, omnes ad viride vergentes, redarguit experientia. Nam si crocum, vel anel torreas, prius rubescere animaduertes, quam virescant, aut nigrescant.

*Vrina rubra splendens, & flammea* fit à flaua adusta, si sit valde copiosa, fit *crassa vrina, & passæa*, colorem multi  
ad

ad tertias decocti referens, qui color est intensior, si bilis valde sit adusta, & in atram bilem quodammodo degenerans.

Hæc apparet in iecoris inflammationibus, *passæa* verò dilutior, in ictero. Si miscetur bilis coerulea, seu Itatidis colorem referens, fit *vrina Vineæ* ex *Actuario*. Hi omnes colores natura sunt prauis, peior est perspicua, quam turbata *passæa*, quæ cum vitium robore, longitudinem significat salutarem. *Vinea* omnium pessima est.

At *rubra non splendens*, Cruenta est, fitque permixtione sanguinis, qui si tenuis sit, paucus, fit *vrina subrubra*; si tenuis, & multus, *rubra*, si biliosus *purpurea*, si crassus, & multus *prærubra*, si paucus, *rubra* vel *subrubra*.

Causas huius permixtionis

curatius expositas, leges apud  
 praticos, capite de mictione  
 Cruenta.

Fit etiam vrina velut cruenta  
 à causa externa, puta medica-  
 mento ex radice rubræ tincto-  
 rum. Omnis vrina cruenta à  
 causa interna est mala.

Nigra vrina extremū colorē  
 albo oppositum refert. Ad  
 hanc reuocantur, plūbea, seu li-  
 uida quam Mercurialis cum fu-  
 sca confundit, item Viridis &  
 oleaginosa, non quod hi co-  
 lores reuera gradus nigredi-  
 nis denotētet (excepta plūbea)  
 sed, quia per colores à rubro  
 fit ad nigrum permutatio, plus  
 que nigredinis inest his colori-  
 bus, quam albedinis.

Nigram faciunt inter causas  
 externas, illitio corporis ex li-  
 gusti albi fructu, ex relatione  
 Auic. & Rhasis, & clyster ex so-  
 la sapa secundum Mercurialis

ob-



obseruationem .

Inter internas ex *Aetio 2. tetra b.*  
*Sem 1. c 44.* sunt tres, mixtio me-  
 lanc holiæ, mixtio atræ bilis per  
 adustionem genitæ, & mixtio  
 atræ bilis ex mortificatione ca-  
 loris, *Argentarius, & Mercurial.*  
 hanc tertiam causam negant.  
*Saxonia, & Io Bapt. Mont.* rectè  
 dicunt è frigido propriè non  
 gigni atram bilem, sed ex ex-  
 tincto calore, & spiritibus san-  
 guinè non minus nigrescere in-  
 uenis, quam in partibus exter-  
 nis, & huius permixtione fieri  
 urinam nigram . Itaque cum  
*Gal. 1. cris 12.* liuidam fieri uri-  
 nã statuit à frigida intèperie, a-  
 trã verò à calida immoderata,  
 aut extinctione caloris, non est  
 intelligèdus de causa immedia-  
 ta, sed de mediata, à qua pen-  
 det materia urinam tingens .

*Liuida* fit vrina à dictis cau-  
 sis remissioribus . Errant, qui

C v r i-

urinam nigram diuidunt, in  
positiuè, & priuatiuè nigram,  
quia hic color non fit sola al-  
teratione, & sinè admixtione  
alienæ substantiæ, cum qua du-  
bium est, an consistere possit  
urinæ tenuitas. *Hipp. 1. Epid.*  
Urinas nigras tenues propo-  
nit. *Sennerius*, negat id fieri  
posse, & tenues ab *Hippoc.* dici  
non simpliciter, sed facta com-  
paratione ad alias crassiores.  
*Valesius*, admittit, & exemplo  
colorum nigerrimorum, quia  
in exigua portione multam a-  
quam inficiunt, non inducta,  
notabili crassitie, purat urinã  
tenuem à minima a terrimi hu-  
moris parte infici posse.

Ex dictis constat, malam  
esse urinam nigram, aut plum-  
beam, quemcumq; excessum  
significet. In declinatione ta-  
men morborũ melancholico-  
rum est decretoria. Cæterum,  
etiam

etiam in principio, & augumē-  
to vniuersali februm aliquan-  
do non est mala, si virtus vita-  
lis sibi constat. *Notum est mul-  
tis studiosis*, ad praxim meo-  
lim comitantibus, Reuerendū  
D. Paulum Borellam Paro-  
chum S. Sophiæ, quoties in  
Febrem incidit, mingere ab  
initio vrinas nigerrimas, eaq;  
die febrem solui (quod vt plu-  
rimum accidit septimo) quo  
clarefcere incipiant; febrem  
autem duplicis tertianę conti-  
nuæ typum præferre absque  
vlllo ægri periculo.

Habet autem duritiem cir-  
cā pancreas, vnde crescente ini-  
bi obstructione, fit compressio  
venæ splenicæ. sic quē impedi-  
tur transitus melancholię, quę  
tamdiū per vias vrinarias ex-  
purgatur, quamdiū perseverat  
obstructio, qua ablata, eodem  
momento vrinæ clarescunt, &



febris euanescit.

*Viridis*, alia est prassina, & saturatior, porri colorem referens, alia æruginosa, dilutior, atque similis colori æruginis. Talis fit permixtione alterutrius bilis, æruginosæ, vel porraceæ, Cumque bilis aduritur, per hunc colorem medium in atram degenerat. Quod ait *Capivaccius cap. 18.* viridem colorem esse etiam principium liuidi, & sicuti à calore vertitur immediate in nigrum, ita à frigore verti primo in liuidum, in liuidum, deinde in nigrum, ea ratione admitti non potest, si statuit, viridẽ colorem à frigiditate fieri posse, & hanc aliquando arguere admitti autẽ debet, si viridem succum extinctione putat linescere.

Itaque vrina viridis per se est mala, atque internum arguit incendium. Estque omnino

no

no earum, tali excretionem mor-  
bum indicari.

*Oleaginea* vrina dicitur à  
*Gal. 3. in 3 Epid. tex. 72.* quæ  
colore, & crassamento similis  
est oleo, qualem se in ægris, ab-  
que detrimento redditam læ-  
pius obseruasse scribit. Cum-  
que olei color non sit vnicus,  
varius quoque erit huius vri-  
næ color, nempe palidus, sub  
flauus, subuiridis. Vrinam au-  
tem, oleosam, quæ toto corpo-  
re sit pinguis, nõ admittit, quia  
pinguedo humori supernatat,  
in medio autem pendere, aut  
subsidere non potest, itaque  
*Hippocratem* ait, nullius vrinæ  
pinguis mentionem fecisse,  
quam eam, in qua aliquid pin-  
gue tantum supernatat; quæ  
differentia vrinæ, vt rectè ait.  
*Valesius lib. 3. com. cap. 37.* desu-  
mitur à contentis, non à sub-  
stantia, aut colore vrinæ. Nam

vix credibile est, quod ait *Hercules Saxonia cap. 3.* colorem pinguedinis supernatantis toti urinae communicari per refractionem luminis, cum neque multa pinguedo supernatare soleat, neque colorem habeat intensum, quale tamen refractione vicinis rebus communicatur. Itaque patet urinam oleagineam *Aetnarum, & Aetum*, tota substantia pingue dari non posse.

*Per Illustris Matrona Patavinna, Cassandra Pligna ætatis 48. Annorum, Mense Aprili 1624. incidit in icterum, cum lenta febricula typum duplicis tertianæ spuria servante absque effatu dignis acciditibus, Urinæ nocturnæ, quæ scilicet reddebatur in augmento, & statu febris erant fere semper oleagineæ, omnis pinguedinis expertes. Nam tota substantia ita assimilabatur, oleo, ut nescientem fefellissent,*



sent, aliquando subflauæ, ali-  
quando magis ad pallidum,  
aut viride vergentes. Diurnæ  
autem erant rubræ, seû passæ  
dilutioris coloris, quales solēt  
esse vrinæ ictericorum. Has vri-  
nas multis ad praxim me comi-  
tantibus iussi ostendi, ob ea-  
rum raritatem. Patiens autem  
intra 20. dies vsu aperientium,  
& per vices aluum laxantium  
absque insignis virium detri-  
mento restituta est sanitati.

Causa vrinæ colorem, & sub-  
stantiam olei referentis, nō est  
colliquata pinguedo, quia hæc  
supernatat, neque colliquatio  
carnis, quia sedimentum fa-  
cet orobo similem, & fulu um  
potius, aut rubrū, quā pallidū,  
vel subviride. Neq; est admix-  
tio alimēti, innominati quæ in  
venis continetur vt *Reusnerus*,  
& *Saxonia*, cēsent ex sentētia,  
*Sabini*, quia talis vrina nō fie-

C. 4. ret.

ret aliquando absque detrimēto ægri, & vix credi potest materiam tam vtilem cum sanguine in venis non retineri. Sed causa est maiorum humorum permixtio, vnde *Gal. loco citato* scribit, oleagineam, quæ ad candidiorem colorem tendit, significare cruditatē, quæ verò vehementer pallida est & ad flauam vergit; biliosum calorem. Quare non improbabili-ter *Argent. & Sennert.* in hac vrina triplicem humorem admittit, nempe bilem flauam, à qua proueniat flauedo, atrabilem, quæ tribuat quandam luiditatem cum splendore, & pituitam agitatum, à qua nasciscatur crassitiem cum visciditate.

Erit ergo talis vrina partim longitudinis signum partim periculosa ob atræ bilis permutationem. *Hac de coloribus*

uri-

*urinarum.*

*Splendida* Vrina tale quid refert, quale aqua, aut alius liquor, in quo lumen aliquod refrangitur. Differt à flammea, tum colore, (quia non modo Citrinus, sed alij colores cum splendore iungi possunt, nempe crySTALLINUS, pallidus, flavus, lubruber, subviridis) tum natura, quia splendor non est coloris differentia, vt color flammeus.

*Causa* splendoris, non est spirituum permixtio, sed attenuatio ab igneo calore, est enim splendor accidens igneo elemento connaturali, ideò illius dominium ostendit. Quid si alicuius sulphuris in corporibus accensi, & in liquore ardentis (aliquos enim ignes in aquis ardere compertum est) luci splendorem referas? Certè à splendore necessario internus

C 5. alia



aliquis æstus, aut iccoris, aut venarum, aut renum, denotatur, maior, aut minor pro splendoris intensione.

*Obscura* Urina dicitur, splendoris expers, siuè tenuis, sit, siuè crassa. Itaq; hac ratione differt *obscurum* ab *opaco*, quia opacitas in corpore tantum ad diaphano reperitur, obscuritas verò, id est carentia splendoris, etiam in diaphano.

Quod si dubites an urinae valde opacæ insit aliquis splendor, ita experiere, ut urinam effundas in aerem, velut abiiciendo, nam diuulsæ splendorē, & colorem quemcumque syncrius referet in aere, quam in matula.

Obscuritatis causa est caloris extinctio, suffocatione, pessima habetur *obscura*, quæ ex crassa tenuior est reddita, quia extinctam vim expultricem.

de-

Ioannis Prænotij. 39  
demonstrat.

C A P. I V.

*De odore Urinarum.*

**A**d urinae qualitatem per-  
tinet odor. Nam differ-  
entias à sapore illis relinqui-  
mus, qui degustanda aegrorum  
excrementa docent. Urina ergò  
alia mediocriter olet, alia ni-  
hil olet, alia suaue olet, alia  
faete.

*Mediocriter olet*, Naturalis,  
quæ obscurum aliquem præse-  
fert factorem, sed minimum,  
& parum molestum, quia natu-  
ra rectè agens, omnia, ne ex-  
ceptis quidem excrementis, ad  
quandam mediocritatem re-  
digere conatur.

*Nihil olet*, quando præte-  
nuit est, nihilque admiscetur  
aquositati, vel ob coctionis im-

C 6      becil.





becillitatem, vel defectu expulſionis ex caloris imbecillitate, aut viarum anguſtia.

*Bene olere* vrinam non poſſe ex cauſis internis omnes fate-  
mur, & id ſuadere videtur na-  
tura excrementi, cui potius  
foetor aliquis conuenit. Itaq;  
bonus odor, vel aduenit à me-  
dicamentis, vti iunipero, & re-  
rebinthine, à qua violarū odor  
cōmunicatur, vel à cibis, quo-  
rum cauſa probabile eſt, *Alex-  
andri Magni* ſudorem non  
inſua uiter oluiſſe, vt refert *Plu-  
tarchus*.

Est autem ſudoris, & vrinæ  
eadem materia, ac propterea  
talis odor fortasſe vrinæ eiuf-  
dem inerat, niſi ſuaueolētiam  
referas in odorem vnguento-  
rum præcioſorum, quo magna  
res illinebantur ſerè quotidie.

*Fætida* fit, vel ratione aſſum-  
ptorum, vel putredine humo-  
rum,

rum, vel vlcere, aut corruptio-  
ne partium, præcipuè iecoris,  
renum, & velicæ. Assumpta  
fætorem conciliant; vel, quia  
ipsa færent, vti allium, vel quia  
multos se cum rapiunt humo-  
res prauos, vti carduus, & aspa-  
ragi. Humores putrescunt in-  
signiter in febribus malignis;  
contrahitur quoq; peculiaris  
putredo in velica, quando vri-  
na ob calculorû, a humuè affe-  
ctu nimis diuturna in eo mo-  
ram trahit. Ergo magnificièda  
est vrina fœtens à causa inter-  
na, cum significet vlcera, ab-  
scessus, ingentes putredines, &  
partium corruptiones. Vrina  
fœtens lactea, significat vlce-  
ra, & abscessus, adeoque puris  
permixtionem. Vrina fœtens  
crassa, & turbida, denotat in-  
gentem humorum putredinè.  
Tenuior verò, & fœtens, ostendit  
alicuius partis corruptelâ,

In qua pars corrumpitur, lique-  
scit, & in tabum resoluitur abs-  
que vlcere, aut abscessu.

## CAPVT V.

## De quantitate Urine.

**Q**uantitas urinae magnam  
habet in significando-  
vim, si quidem maio-  
rem, aut minorem demonstrat  
feri exuperantiam, humorum,  
& sanguinis cum eo confecti-  
sociam, ac testem. Ratione  
ergo quantitatis.

Urina, vel est *Multa*, vel  
*Pauca*, vel inter vtrumque ex-  
tremum *Mediocris*, quae men-  
suratur quadam ad potus, cibi  
que humidioris assumpti qua-  
ntitatem proportionem. Quae er-  
go humiditati assumptorum  
proportionem respondet, bene-  
se habet, esseque censenda na-  
turalis.





turalis. Quæ verò, vel copio-  
sior, vel parcior est, quam prò  
humidorum assumptorum pro-  
portione, aliquid singulare  
portendit, prò causarum va-  
rietate.

*Pauca, fit vrina quadrupli-  
citer.*

*Vel, quia deficit aquositas:  
altera vrinæ pars, ob paucio-  
rem potum cibum uè aridior è.*

*Vel, quia absumitur, ardore  
februm, motu, exercitio que  
valido, medicamentorum va-  
lide digerentium, & disci-  
pientium vsu.*

*Vel, quia ad alias vias con-  
uertitur, seu euacuatur, vnde  
liquidiores deiectiones, & su-  
dores, seu alicubi retineantur,  
puta in cauitate ventris, vteri,  
pectoris, vnde hydropes illa-  
rum partium.*

*Vel quia, eius transitus per  
meatus vrinarios impeditur.*

ex

ex angustia renum, vreterum, colli vesicæ, cōuulsione sphincteris; paralyti musculi totum vesicæ corpus ambientis.

*Urina pauca*, nisi ob causam externam, aliamue sensibilem evacuationem fiat, semper est mala, nam in febris significat incendium viscerum, aut expultricis venarum imbecillitatem. vndè quæcunque alia praua urinae conditio, fit deterior à paucitate, quia præstat malos humores cum urina externi, quam retineri.

*In hydrope* est signum lethale, eoque magis, si fuerit subrubra, quia præterquam quod a quositate retentio auget morbum, significaturque quoque summa imbecillitas, ob quã secerni amplius non potest serum à sanguine.

*In alijs* affectibus tantò est deterior paucitas urinae, quã-  
to,



to, vel præstantior est pars læ-  
sa, vt in hydrope pulmonum,  
vel facilius fieri potest omni-  
moda suppressio .

*Copiosa* redditur, vel ob ci-  
bi humidioris, potusque abun-  
datiam: vel impedita euacua-  
tione tenuis materiæ euacua-  
ri solitæ per insensibilem tran-  
spirationem, per sudorem, per  
ventrem, cuius causa conuer-  
tatur excrementum ad vias v-  
rinæ; vel tractione violenta  
renum, vt in diabete; vel vsu  
diureticorum; vel motu, seu  
impetu naturæ, aut per *crisim*  
indicantis aliquem morbum,  
aut humorum, serique copia  
stimulatæ, quale serum copio-  
sius colligitur ob recoris, & ve-  
narum caliditatem humores  
colliquantem, vnde plurimus  
ichor sero sanguinis analogus  
proueniet.

*Multa urina*, absque causa  
ex-

externa cum bono colore, & virium robore in acutis est decretoria, *Crassa* in principio, & augmento, significat longitudinem, in statu cum virium robore denotat crism. *Tennis*, & splendida significat interni caloris magnitudinem, atq; adeo morbi acutiem. Videtur autem multa urina cum signis colliquationis omnium esse deterrima, quæ verò non est colliquatiua, neque decretoria, eoque videtur melior, quo copiosior, quia saltem est, bona ratione causæ, quæ euacuatur.

## C A P. V I.

## De Contentis in Urina.

**H**Actenus constat, quæ sint differentia: urinarum, ratione propriæ ipsarum substantiæ, ac propriorum accidens.





identium. Restant differentiæ alienæ substantiæ, quæ vrinæ liquidiori admiscetur, & *Contentum* appellatur. Huius duas statuunt differentias. Prima sumitur ab ijs, quæ in plurimis sanorum, & ægrorum vrinis cõspiciuntur, ideo què dicitur essentialis; Alia sumitur ab ijs, quæ nec semper, nec frequenter in vrinis apparent, ideoque accidentalis appellatur, quia talia contenta præter naturam in vrina continentur, vel à naturalium contentorum natura degenerant.

*Essentialis* sumitur Ratione Loci, seu situs qui triplex constituitur, in superficie matule in fundo, & media inter has extremas regione, *superna* regioni naturalis est *Nubecula*, *vefèdn*, & *Corona* accidentalis est, *Bulla*, *Spuma*, *pinguedo*.

*Me-*

*Media* Regioni naturale est *Suspensū*, ἐναπόσιμα; accidunt *Atomi*, *pili*, *filamenta arenule* lateribus matulæ adhaerescen-  
tes.

*Fundo* naturalè est sedimen-  
tum, seu *subfidentia*, ὑπόσιμα, non referens vllam substantiã alienam à natura excrementorum; Nam accidentale est, atquè rarius subfidere. *Granos sanguinis*, *pus*, *vermes*, *Carunculas*, *Arenulas*, & quid ve-  
luti *farinaceum*, *Squameum*, *furfuraceum*, *orobeum*, seu *granis orobi* simile.

Porro in naturalibus cõten-  
tis considerantur quoquè dif-  
ferentiæ ratione substantiæ,  
quantitatis, & qualitatis ea fe-  
rè ratione, quæ dicta est de li-  
quore urinae,

*Ratione substantiæ* dicitur  
Contentum *Crassum*, aut *tenue*,

RA.

*Ratione quantitatis* dicitur multum, vel paucum, Aequale, seu continuum, Inæquale, seu Diuulsum.

*Ratione qualitatis*, consideratur figura, vnde sedimentum Pyramidale, & color, qui non cōspicitur tam multiplex in contentis, ac in liquore vrinæ, sed ferè semper albus, aut niger, aut Ruber, aut Rufus.

Hæc omnia, vt distinctè proponantur, primò ostendendū, quæ sit naturalium contentuū causa, atque vnde illis adueniat crassities, æqualitas, figura pyramidalis, copia, colores, vnde significandi vis intenditur, deindè, quæ in singulis vrinæ Regionibus, vel naturaliter, vel præternaturam apparent, particulatim explicandum.

CA-



## CAPVT VII.

*De Causis, & significationibus  
Contentorum in Genere.*

**I**llud imprimis constat con-  
tenti materiam esse quidē  
excrementitium, quod à calo-  
re nativo vatri, partiumque  
substantiæ assimilari nō potuit,  
sed de specie huius excremen-  
ti, & de loco, vbi generatur,  
non secus est scriptorū alter-  
cacio, quæ, vt dirimatur, sup-  
ponendum est, contenta sanor-  
um, & agrorum non omnino  
esse eiusdem naturæ; siquidē  
excrementorum in vtrisque  
generatio non omni ex parte  
est similis.

*Nam in sanis generantur  
excrementa necessitate mate-  
riæ, cum nullum sit alimentū,  
(ne propinquum quidem.)  
quod*

quod sine aliqua inutilis partem secretionem possit in aliam substantiam transmutari. Cum enim mixta specie diuersa dissimilem habeant proportionem corporum, seu qualitates consideres temperamentum facientes, seu Elementarium corporum portiones, qua ratione fieri poterit unius in alterum conuersio opera nutritionis, nisi partes inutiles, & improporcionatae substantiae ad generandam separentur ab vtilibus, quae viuentis dispositiones opera natiui coloris possint recipere? Sed etiam sunt in sanis excrementa vitio efficientis, circumscriptis omnibus, quae in victu committi possunt, erroribus) quia temperatissimus ille calor speciei humanae, qui est veluti regula polycleti, reipsa non datur, sed omnium sanorum temperamenta

menta plus minus ab ea com-  
 moderatione recedunt; vnde  
 cum vis immutandi alimentū  
 ab ea Symmetria caloris de-  
 pendeat, tanto plus excremen-  
 ti, vel ex optimo cibo genera-  
 bitur, quanto longius recesserit calor agens ab illa natura-  
 liſſima mediocritate.

*At in agris* alias etiam ab  
 causas excrementa producan-  
 tur, puta ob calor is defectū,  
 aut immodicam ex superantiā  
 vnde succedūt inquinaciones,  
 putredines, affationes, toſtio-  
 nes, colliquaciones, operatio-  
 nes profecto probæ coctioni  
 oppoſitæ.

*Materia Contentorum in  
 Genere.*

**H**inc colligitur primo,  
 omni urinae tum sano-  
 rum,



rum, tum agrorum connaturalis esse aliquod contentum, cum connaturalis fit aliqua superfluitas, quam vna cum sero expurgari, non inconueniat. Duomodo peculiarem aliquam ab causam ea excretio non retardetur, quæ manifesta fiet ex recensu causarum pauci, vel multi contentorum.

Itaque errat, & *Argenterius*, qui sanos paullo calidiores existimat carere contentis. Et alij, qui tantum sanis improbo victu vrentibus convenire putant contenta; si quidem calor paullo validior totum excrementum non consumit, maxime verò terreum illud, & falsum, quod liquori urinae confunditur, neque excrementi in sanis generatio ab improbo victu tota pender, sed ex necessitate materiae, & efficientis.

D            entis.

*Materia Contentorum in specie.*

**C**olligitur secundo. Non omnino eandem esse materiam contentorum in sanis, & ægris. *Nam in sanis*, materia contenti, est illa alimenti pars, quæ neque in perfectum sanguinem, neque in alicuius partis nutrimentum potuit mutari, ac uidetur esse illius pituitæ potentia alimentalis pars, quæ sanguini permiscetur, crudior in quam pars, quæ neque à iecoris, & venarum, neque aliarum partium tertia coctione superari potuit, vnde sero postmodum permixta ad renes secernitur. De qua materia licet alij aliter sentiant, uidentur tamen auctores potius di-

disceptare nomine tenus, quã  
re, *Gal. 1. Cris. 12.* vocat humo-  
rem crudum. *Et 1. prognost.*  
*tex. 42.* vocat partem inconco-  
ctam alimenti in sanguinis ge-  
neratione. *Actuarius*, vocat  
excrementum sanguinis con-  
cocti in venis, quod quid ali-  
ud est dicere, quam partem  
crudam, & in concoctam vlti-  
mi alimenti? *Altimanus*, vo-  
cat quandam portionem semi  
concocti illius alimenti, quod  
in sanguinem omnino commu-  
tari non potuit in sanguifica-  
tione. Et hæc quid aliud est,  
quam crudus ille succus, qui  
tempore penuriæ, & vltimo-  
re coctione venarum secundũ  
aliquas portiones in probũ ali-  
mentum abit? *Fernelius* vocat  
crassio rem vrinæ partem. Om-  
nino. Nã serũ sanguinis huius  
excrementi mixtione paulo

D 2 cra-



crassius redditur. Errat Argentarius, quia pituitam viscidam putat esse materiam naturalium contentorum, eo quod sedimentum naturale videatur esse album. Nam, talis pituita corpori sano non conuenit, & potest crudo illi excremento aliunde accedere color albus, vt dicitur, adde; Contentum probum significare bonam coctionem, à qua talis pituita non generatur. Hieronymus Reusnerus tract. de Urinis Cap. I putans pituitosum, & melancholicum excrementum esse materiam naturalium contentorum; si intelligit portionem quandam crudiorum illorum humorum alimentarium, qui ad massæ sanguineæ integritatem concurrunt, rem eandem diuersis nominibus exprimere videtur,

tur, cum illæ diu sanguinis partes calori coquenti magis reluctantur.

At in ægris, duplicem contentorum materiam esse ratio persuadet. Altera est crudior illa alimentorum pars, quæ sola efficit contenta sanorum. Cum enim, & ægri nutriantur, cur eadem inconcocti succi, imò multo maior portio in ijs non colligetur, & si absint impedimenta, non excernetur? Altera est portio humorum vitiosorum morbos facientium, quam *Altimarus c 3.* malè statuit materiam adæquatam.

Nam alias non possent ex contentis vitiosi humores cognosci, cumque magna illorum fiat in ægris agitatio, qui fieri poterit, ut nulla illorum portio urinae permisceatur?

Sed instabis cum *Fernelio.*

D 3 con

contenta ferè esse albi coloris, materiã autem morbificam, vt plurimum esse flauã, nigram, aut alijs præditam coloribus, quæ uomitu, & deiectionibus manifestantur, ergò eandem videri materiam contentorũ in sanis, & ægris?

Secundo, si in ægris eade materia est quò ad aliquam partem materia contentorum, ac in sanis, cum semper nutriantur, cur non semper apparent contenta, maximè in morbi principio.

*Ad primum* respondetur, Materiam contentorum, vt plurimum elaborari in venis, indeque albiorem reddi, quam, quæ uomitu, & deiectione excernitur. Adde misceri portioni illi crudiori inconcocti sanguinis, à qua albedinem aliquam contrahit.

*Ad.*



*Ad secundum responderetur.*

Naturam impeditam humoris praesentia non posse in principio vniuersali incumbere nutritioni, vnde aliquandiū cessare illius semicrudi succi portionis, quæ post nutritionē relinquitur, expulsionem, aut esse minimā, quæ percipi vix possit.

*Causa efficiens Contentorum.*

**C**olligitur Tertio, cuius coctionis excrementa sint contenta vrinarum. Nam loquendo de Vrina sanorum, cum pars illa crudior alimenti tunc demū excernatur, postquam à calore viscerum, venarum, aliarumque partium immutari non potuit, & in substantiam conuerti videtur materia contentorum, formaliter.

D 4 lo-

loquendo, esse potius excrementum tertiæ concoctionis, cum sit superfluitas vltimi, vt ità dicam, conatus naturalis caloris, qui crudam illam partem peracta sanguificatione non statim excreuit, aut segregauit, vt alia excrementa, sed tandiù retinuit, quoad vltima elaboratione alimenti inconcoctum remansit. Si quidem illa crudior pars, quamuis ex propria dispositione assimilari non possit substantiæ corporis, habet tamen paullo maiorem cum alimēto affinitatem, quam vt illico post sanguificationem segregari debeat à sanguine, veluti alia excrementa inutilia, atq; à natura alimēti penitus dissentanea.

Hac ergo ratione vera erit sententia, *Altimari cap. 2. de Sedin. urin.* statuentis, materiam

*Ioannis Praeotij* 81

riam sedimenti esse excrementum tertiæ concoctionis, eamquæ concoctionem, quæ fit in venis, & arterijs, pro ipsarum nutritionei significare. Cum verò pars illa crudior, in Chylo adhuc existēs, ita iam fuerit disposita ex propriæ naturæ conditione, ut neque in perfectum sanguinem, neque in alicuius partis nutrimentum abire potuerit. Si materialiter consideretur, dici debet excrementum primæ, aut secundæ concoctionis, cum neque in ventriculo, neque in iccore perfici potuerit.

Qua ratione vera erit sententia, *Mercurialis Saxonie, Capitanei*, dicentium fieri naturale sedimentum urine sanorule ex ea Chyli parte, quæ neque in sanguinem mutari potest, neque in bilem, aut melancolicam.

D 5

liam



liam conuertitur.

Neq; minū videri debet *Alti-  
maro*, posse aliquā [chyli partē  
crudiores, quæ in alia excre-  
menta non degenerat, rema-  
nere inuictam in iecore homi-  
nis sani, quia accidit ipsi non  
ex agentis imbecillitate, sed  
dispositione materiæ, cui ex  
quadam analogia naturali re-  
pugnat ea perfectio, & affimi-  
lacio cum natura partium.

*Contenta* verò *Vrinæ* ægro-  
tantium, cum non modo à iam  
dicto excremento, sed alia qua-  
cunque vitiosa materia mor-  
bum faciente detinentur, mul-  
tiplicis coctionis excrementa  
esse necesse est. Nam vitiosa  
excrementa ventriculi, ieco-  
ris, venarum, cerebri, pulmo-  
num, lienis, renum, vteri, li-  
quori *vrinæ* non rarò permi-  
scentur, variaque contenta

eci

efficiunt. Sic ergo. Vrinarum  
contenta generari vniuersim,  
statuendum esse.

*Accidentium Contentis:  
Cause.*

**P**orrò Contentis accidunt,  
*Crassities, Tenuitas, Con-*  
*tinuitas, Inaequalitas, Læuitas,*  
*Figura, Copia, Paucitas,* vari-  
que Colores, vndè plurimæ  
coniecturæ passim defumuntur  
pro varietate caussarum, à qui-  
bus pendent hæc accidentia.

Scribit Hippocr. 2. *prognost.*  
l. 26. optima vrinam sedimen-  
ta esse alba, læuia, & æqualia  
omni tempore, quod propor-  
tione quadam intelligendum  
est de aliis contentis sanorum,  
quando nō adest sedimentum.

*Aequalia, & læuia* sunt, quæ  
eandem obtinent omni ex par-

D 6 te

te modum substantiæ, atque adeò omni ex parte æqualiter, sunt Continua, æqualiter crassa, & tenuia. In statu optimo, æquum est contenta potius ad tenuitatem vergere, cum colore sint albo, & à calore probè elaborata.

*Causa* huius æqualitatis est Constans, & non interruptus calor coquentis vigor, & materiæ patientis vniformis dispositio. A Contrariis causis fit.

*Inæqualitas, & Diuisio*, contentorum. Nam calor debilior materiam non afficit æqualiter, adeò vt vna pars altera crassior, ac tenuior, ad vnum, aut alterum colorè magis vergens relinquatur. Idem facit materiæ dispositio. Nam mixtio Crassorum excrementorū facit contenta debito crassiora;



ra; difformia excrementa sibi permixta, neque facilè continuantur, nequè eandem omnì ex parte crassitiem, & colorum affectionem ostendunt.

*Figura*

Certa non inest contentis, ex cepto sedimèto optimo, quod veluti in pyramidem à fundo vasis assurgere videtur. Causã referunt scriptores in quandã inæqualitatem excrementi à calore attenuati dicentes, fieri non posse, vt aliquæ partes non sint aliis tenuiores; ideoque crassiores hæere in fundo, paullo tenuiores supereminere, tenuissimas verò hæere in Cacumine.

Cæterum nihil videtur obstare, quando excrementum naturale satis paucū, & æqualiter dispositum vniformiter patiatur à calore valido, cum  
nulla

nulla sit ratio, cur materia, eãdem ratione disposita, ab eodem agente secundum vnã partem magis patiatur, quam secundum aliam.

Causa ergò illius figuræ hæc eadem videtur esse, quod illa materia à calore probè, attenuata, & satis leuis, sursum, feratur, cumq; citius refrigeretur in fundo, & citius in media regione, quam suprema, quæ à vaporibus exhalantibus, vltima afficitur, sit, vti ima pars excrementi primo condensati à frigore, sit paulo latior, & sic condensetur veluti in pyramidem, quia ignis exhalationes, & vapores pyramidaliforma assurgunt.

*Color Contentorum.*

**T**otus prouenit à permixta materia, In ægris tã variè

variè colorantur, quam variè sunt materiæ à quibus vrinas ipsas colorari dictum est. In sanis contenta sunt alba, quia crudus ille succus, cuius pars inconcocta materiam præbet contentis, est albus.

De huius albedinis causa lis est inter scriptores. *Capiu. c.4. & Horat. Augenius lib. 10. Epist. cap. 6.* dicunt, Albedinè contrahi à ventriculo, à quo Chylus albus redditur, cum crudior pars chyli sit materiæ contentorum.

Cæterum cum fieri vix possit, vt illa crudior pars chyli actione iecoris, & venarum aliquas mutationes non subeat, non est credibile à solo ventriculo deriuari dictam albedinem.

*Saxoniæ. 7.* ait fieri album à facultate alteratrice vesicæ, quo



quomodo lac ex sanguine  
fit album in mammis. Verum,  
cum ratione vesicæ eadem ra-  
tione fit excrementum vrina  
ipsa, & permixtum excremen-  
tum, cur etiam vrina non al-  
bescit opera vesicæ?

*Argenterius*, qua ratione fal-  
litur statuendo pituitam mate-  
riam naturalium contentorū,  
eadem ratione fallitur credēs  
albedinem contentorum natu-  
ralium esse à pituita, licet ve-  
rum sit eam esse frequentissi-  
mam causam albedinis con-  
tentorum in ægris.

*Rectius Gal. 1. Prognost. in*  
fine, asserit, ob eandem causā  
sanorum sedimentum fieri al-  
bum, ob quam pus generatur  
candidum. Nam venæ, & par-  
tes solidiores dum materiam  
elaborare, sibi que assimilare  
conantur, licet id omnino præ-  
stare

*Ioannis Prauotij. 89*

stare non possint propter iadispotionem passi, album saltem colorem ipsi impertiunt, caloris assimilare conantis argumentum, licet non sit inficiendum, etiam à Chylo, cuius pars crudior abit in Contentū, deriuari illam albedinem aliqua ex parte, augeri postmodum in venis, & arteriis.

*Copia, paucitasuè Contentorium.*

**P**roximè pendet à copia, vel paucitate permixti excrementi. In sanis fiunt copiosa contenta ex crudi illius succi abundantia ob repletionem vel quia largiori cibo indulgetur, vel quia vita in otio traducitur, vel quia consueta aliqua euacuatio supprimitur vel quia caliditas aliquāto debilior

bilior minus excrementi consumit. Ideò *Pueri, Fæmina, Senes, otiosi, voraces*, plus contentorum habent, minus verò sobrij viri, corpus exercentes; nihil aut perexiguum, tenui, ac probo victu vrentes, maxime verò *iuuenes*, atque natura paullo calidiores. In ægris, multa erunt contenta, si excrementa sint copiosa, & crassa, neque impediatur illorum expulsio. Vnde in principio, & augmento vniuersali nulla, aut pauca sunt contenta, quia natura coctioni intenta non expellit, aut obruta multitudine materie alterare non potest, præsertim, si alia quoque accedat intemperies. In morbis biliosis ob caloris absumētis efficaciam, & materie tenuitatem contenta sunt pauca, & vix vnquam subsidencia, Ex-

Gal.



Ioannis Prauoty. 9<sup>o</sup>  
Gal. 2. prognost. tex. 26.

*Significationes Contentorum.*

**I**N genere manifeste fient  
consideranti eorundem  
causas.

*Aequalia, & lauia* signifi-  
cant in sanis constantem vale-  
tudinem, & continentiam vi-  
ctus. In egris sunt signa perfe-  
ctæ coctionis, quæ vel antece-  
dit bonam crissim in acutis, vel  
apparet in declinatione.

*Inaqualia, & diuulsa* signifi-  
cant in sanis, vel incontinen-  
tiam victus, vel lubricam sani-  
tatem. In egris sunt tantum  
rudimenta coctionis, & longi-  
tudinem per se portendunt. In  
conualescentia significant, vel  
crassiorum humorum reliqui-  
as, vndè expectari possit reci-  
diua, vel errorem commissum  
in

in ratione videtur.

*Figura pyramidalis*, Sedimentum significat optimam coctionem, in sanis, ægris, & conualescentibus.

*Color albicans*, cæteris paribus est laudabilior, & significat bonam coctionem, cum crassitie verò, & copia contentorum, significat copiam pituitæ crudæ, atquè adeò longitudinem morbi.

Cæterum eadem sunt significationes colorum in contentis, quæ dictæ sunt de coloribus Vrinarum, inter quos meliores sunt, *Aureus*, *pallidus*, *subflavus*, *subruffus*. Multa Contenta in sanis cum bono colore, & mediocri consistentia, significant intemperantiã vitæ; cum colore, & Consistentia indebita portendunt citam ægritudinem.

In

*In agris* sunt signa decreto-  
ria cū alijs bonis signis, & post  
vniuersale principium, & in  
principio, nec non in progres-  
su morbi cum alijs prauis si-  
gnis ex parte coloris, & consi-  
stentiæ vrinæ, nec non roboris  
virium, significant abundan-  
tiam excrementorum, & indè  
morbi longitudinem.

*Pauca* in sano, cum alijs bo-  
nis votis, significant caloris  
robur, vitæ temperantiam, me-  
diocritatem motuū corporis,  
& indè constantē valetudinē,  
& longæuitatem; cum prauis  
notis, puta tenuitate, & pallo-  
re, significant principium ob-  
structionū, & indè dispositio-  
nes ad febres & *In agro*, signi-  
ficant cruditatem, & morbi lō-  
gitudinē. Si tamen biliosus sit  
æger, & morbus à tenui mate-  
ria ortū trahat, paucitas con-  
tea



renti stare poterit cum optima coctione, si color sit laudabilis, & consistentia ad mediocrem vergens .

### C A P. V I I I .

*De Contentis in specie, & primò de Contentis in superficie, seu Regione suprema urina.*

**D**ICTUM est à situ contentorum de sumi præcipuas eorumdè differètiâs, quia nimirum frequentius obseruantur, atque à grauitate, vel leuitate materiam necessario comitante pèdeat. His enim qualitatibus proxime ad scribendum, est, quod aliqua materia in sublimi pèdeat; alia paullo inferiorem locum sortiatur alia denique in imo subsideat.

*Levi-*



*Ioannis Prætorij. 63*

*Leuitatem* verò sortitur, vel à natura alimēti, cuius est excrementum, vel à valido calore materiam attenuāte, vel à permixtis flatibus, qui naturæ sua leues cum sint, possunt materiam grauē, sibi admixtā velut suspendere, inque sublimi detinere, & dicitur propria cum fiat vel à materiæ tenuis dispositione, vel caloris robore hæc autem accidentalis cum fiat à flatibus permixtis.

*In sanis* accidit potissimum hæc situs varietas à conditione ciborum, quorum alii sunt leuiiores, & tenuiores, alii crassiores, & ponderosiores, vndè excrementa vel humiliorē, vel sublimiorē situm acquirunt, sic tamen, vt à calore valido, & victu parco, possit etiam contentum sublimius fieri à cibo crassiori insigniter.



gniter attenuato. Quæ causa esse videtur, cur naturalissima contenta sanorum probo victu vrentium frequentius subsideant, quia pars crudior clyli tribuens materiam contentorum aliquem lentorem, & crassamentum acquirit actione venarum, quod à mediocriter constituto calore tantopere attenuari nequit, vt leuitatem insignem acquirat, nisi contingat paucissimam colligi excrementum, vel ex paucissimo, vel optimo victro, quo casu suspensum, aut nebula loco sedimenti generatur.

*At in agris* frequenter contingit à permixto pluri, aut parciori flatu magis, aut minus crasso, materiam etiam ponderosioré detineri, vel in fummo, vel in medio, quo in casu

casu calor, & consistentia vrinæ, & reliqua naturalia accidentia contentorum degenerare videntur à naturalibus conditionibus. In statu vero morborum salubrium, & in declinatione vniuersali varius situs contentorum non est referendus in flatum, sed materiae dispositionem, & caloris vincentis actiuitatem, vt dictum est de Contentis sanorum.

*Errant*, qui hunc situm contentorum putant immediate referri posse in actionem caloris segregantis partes etherogeneas; dicentes, fieri sedimentum æquale, quandò calor validus existens cito segregat, colligit, & in imum deponit materiam liquori vrinæ permixtam; eodem verò existente non valido, aliquod ma-

E nere

nere dispersum in partibus superioribus. Nam certum est (dato quod excrementa segregentur vi caloris naturalis, & non potius condensentur vi frigoris ambientis in vario situ, ubi reperiuntur) calorem leuissima excrementa non pulsura ad fundum, quia ille situs est inconueniens corpori leui, & ad segregationem rei inutilis nihil facit.

Hinc colligitur ex situ contentorum naturalium nihil precise significari posse certi, & perpetui (cum in omni regione stare possint excrementa corporis sani) nisi vna considerentur alia conditiones contentorum;

Nam v. g. nebula continua, boni coloris, cum probo urinae colore, & laudabili consistetia hominis biliosi erit, æquiuallens



lens sedimento albo leui, & æquali tēperaturæ humidioris. sed ex particularibus contentis clarius deducuntur hæ significationes. Superfici ergo, Naturalis est, *Nebula*, & *Corona*. Accidentalē verò, *Bulla*, *Spuma*, & *Pinguedo*.

*Nebula.*

*Nebula*, seu nubes, ac *Nubecula* est illud quod in vrinæ parte superiore nubis instar supereminet cuius, vt & aliorum Contentorum, aliqua est variatione situs varietas, & latitudo vt rectè mouet, *Actuar. c. 13.* Alia enim tangit vrinæ superficiem, alia parum ab ea recedit; alia nonnihil descendit vergens ad locum encephalitis, quod videtur *Hippocr. ἐνατώριμα ἐπιπέφλου* appellare. *Nebula* causa patet ex dictis.

E 2

Fit

Fit enim, vel ex materia tenui,  
 & pauca optimè elaborata à  
 calore, & tunc consistentia  
 quoque, & calor urinae natu-  
 rales seruant conditiones; vel  
 fit à debili actione caloris ma-  
 teriam, quo ad aliquas partes  
 agitantem, & attenuantem,  
 siue inchoata iam victoria, vt  
 cum natura crises molitur, &  
 tunc urinae color ad probum  
 tendit, siue natura ferè deui-  
 cta, & præter tenuem aliquam  
 portionem flatibus permixtã  
 nihil expellere potente, & tunc  
 prauis colores conspiciuntur,  
 prædictionem quod attinet;

*Nebula*, censetur bona, alta,  
 læuis, æqualis, huic proxima  
 est colore ad rubrum tenden-  
 te. Causa rubedinis in bona  
 nebulosa, non est permixtio  
 sanguinei flatus, sed refraçtio  
 luminis in nube exhalationi-  
 bus permixta, fitq; dominantibus

bus

bus siccis, & terrenis materijs,  
quæ à calore victæ in fumum  
vertuntur. Constat autem lu-  
men in sicca nube refractum  
facere rubedinem.

Hanc ab causam rubedo in  
nebula, & suspenso, significat  
motum celerem morbi, at cō-  
trà, sedimentum rubrum signi-  
ficat, non crism, sed diuturni-  
tatem, salutarē tamen morbi,  
quìà sedimentum non fit ru-  
brum ob refractionem lumi-  
nis in materia sicca attenuata,  
sed permixtionibus rubræ ma-  
teriæ crassioris. Vnde non est  
quod Gal. in com. 71. Aphor. 4.  
sect. dicat Hipp. meminisse ne-  
bulæ rubræ, quia rara sit, &  
adhuc rarius, à rubedine Cō-  
tentorum significare Crism.

Talis quarta die apparens  
in morbo acuto, significat cri-  
sim futuram ad salutem, in 7.

E 3 ex



ex Hipp. 4. Aphor. 71. Nigra  
 eodem die apprens significat  
 funestam Crisim in 7. In alijs  
 morbis, quia terminantur po-  
 tius coctione, quam Crisi, si-  
 gnificat augmentum vniuer-  
 sale, & manifestam coctione.  
 si color urinae, & Consistentia  
 fiat laudabiles, in corpore bi-  
 lioso significabit perfectam co-  
 ctionem, atque adeo statum  
 vniuersalem, vel declinatio-  
 nem.

*Corona.*

Duplex ab Actuario statui-  
 tur *lib. de urinarum diff.* Nam  
*cap. 18.* ait, esse lineam adum-  
 bratam, seu umbram pictam  
 ambientem urine superficiem  
 quod idem est dictu, ac si de-  
 finias esse Circulum ambientem  
 urine superficiem; qui circu-  
 lus in omni urina sanorum, &  
 aegro-

ægrorum est necessarius. At  
 Cap. 19. Aliam ponit *Coronam*,  
 quæ non est linea adumbrata,  
 sed circumferentia humoris  
 corporis uè urinæ, non modo  
 conspicua, sed alium colorem  
 sæpenumero referens à colo-  
 re reliquæ urinæ, & circâ vas  
 apparès in ambitu superficie  
 urinæ. Et hæc Corona acci-  
 dentalis est urinæ, ægrisquæ  
 potissimum conueniens. De  
 causis Coronæ dissentiūt scri-  
 ptores.

Io. Baptistæ Montanus, vult  
 fieri ab humido solidorum,  
 vel substantifico, vel alimen-  
 tali colliquato, quod ob quan-  
 dam visciditatem accedentem  
 ad pinguedinem hæreat in su-  
 perficie. At si hoc ita est, ubi  
 nõ adest calor igneus colli-  
 quâs, non apparebit Corona,  
 cum tamen etiam in sanorum

E 4. vrina.

vrina non raro appareat. Dein  
 de cur talis colliquatio non  
 apparet in reliqua superflua  
 instar oleosæ cuiusdam telæ?  
 Tertio, frequentior est Corona  
 in morbis frigidis à pituita,  
 & melancholia, in quibus ta-  
 men minor est colliquatio.

Hinc Saxonia cõtendit Co-  
 ronam fieri ex melancholia, &  
 pituita mixtis. Sed neque id  
 omni Coronæ conuenire vide-  
 tur, cum aliquando referat co-  
 lorem citrinum, croceum, ru-  
 brum, qui ab humoribus illis  
 permixtis representari non  
 potest.

Ob eandem causam immi-  
 nutus videtur *Argent. Cap. 13.*  
 in ichorem melancholicum,  
 id est tenuiorem melancholiæ  
 partem, quod Corona, vt plu-  
 rimum vergat ad colorem ni-  
 grum, aut viridem, & sit de-  
 pres-



pressior vrine superficie, quod sine aliqua grauitate fieri non potest. Verum si Corona, *ve* plurimum est nigra, aut viridis, ergo non semper, atque aded ab vnico humore non proficietur.

*Sennertus* rationabilius existimat cum *Fernelio*, Coronæ varios colores fieri pro humorum vrinæ permixtorum varietate, cumque visui magis obuia, & peruia sit vrinæ superficies, multa in illius circulo de substantia, & colore oculis subiici, quæ in reliquo humori cerni non possunt.

Ac si aliqua videatur varietas coloris in Corona, & reliquo liquore, id prouenire ex radiorum per vitrū refractione, ob quam in omnis liquoris superficie circulus quidam apparet, cum lumem in super-

E 5 ficie.

ficie liquoris aliter recipiatur,  
 & refrangatur, ac in medio.  
 Exindè verò fieri, vt Corona  
 vix animaduerti possit, quan-  
 do vrina est æquabilis, & vbi-  
 que similis, ac etiam non ni-  
 mium tincta; facile vero ob-  
 seruari in vrina, cui quedam  
 inest partiũ dissimilitudo, aut  
 humorum agitatio, aut color  
 aliquis magis tinctus, ob quã  
 causam ægris, aut in morbum  
 inclinantibus manifestior est  
 Corona, quam in sanis.

Nunc colligitur ex Corona  
 rectè significari conditionem  
 sanguinis existentis in maio-  
 ribus vasis, vti docet *Fernelius*.  
 Quod *Bertinus*, addit signifi-  
 cari statum partium superio-  
 rum, & præcipuè capitis, caret  
 omni probabilitate.

Ergò Corona tenuis, & alba  
 ostendit dilutum sanguinem,

ac

ac tenui sero permixtū; *Cras-*  
*sa*, & *alba* pituitosum, *subfla-*  
*ua*, & *Citrina*, naturalem, *Cro-*  
*cea*, biliosum, rubra, feruidum,  
 & accensum, *Viridis*, bilem  
 prassinam, & æruginosam,  
*coerulea*, & *livida*, vel atram  
 bilem, vel melancholiam na-  
 turalem sanguini mixtam, at-  
 què a deo significabit idem bo-  
 num, aut malum, quod à san-  
 guine. sic disposito significa-  
 tur.

*Bulla*, & *Spuma*.

**S**Vnt eiusdem naturæ, dif-  
 feruntque tantum secun-  
 dum magis, & minus, cum  
 spuma nihil aliud sit; quam  
 multæ bullæ coniunctæ, & cū  
 quadam confusione cohæren-  
 tes. *Bulla* verò sunt veluti exi-  
 guæ vesiculæ, ijs similes, quæ  
 in aqua feruente conspiciun-

E 6 tur,



tur, modo maiores, modo minores, modo in vna, modo in pluribus superficiei partibus consistentes.

Fiunt à flatu materiæ crassæ incluso, qui cum exhalare nequeat, materiam in tumorem attollit. Quo flatus est crassior, & materia viscidior, eo diutius durant bullæ; quo maior est humoris agitatio, eo fiunt plures bullæ, materia inter collidendū in multas partes comminuta, & scribitur à Gal. 2. Aphor. comm. 43. Hinc urina etiam optima, motu agitationis, dum mingitur, bullas cōcipit statim euanescentes, de quibus hic non agitur, sed de bullis diū in urina perseverantibus.

*Actuarius* varios assignat spumæ colores, qui varietate humoris, cui flatus includitur,

tur,

tur, quos omnes *Mercurialis*  
*cap. 16* perperam existimat esse  
 cōmentitios, statuens, om-  
 nem spumam esse albam.

Nam, & in sanguine misso  
 bullas non rarò cernimus fla-  
 uas, aut rubras, quales etiam  
 in vrinis ictericorum passim  
 conspiciuntur. Quoad signi-  
 ficationes.

Cum *Spuma* fiat à materia  
 crassa, vel agitata, vel à calo-  
 re debili non bene attenuata,  
 vt plurimū significat morbos  
 diuturnos, qui ex crassa mate-  
 ria fiunt, & dolorem capitis à  
 flatu, vel catharrum à capite,  
 defluente in venas, quorum  
 distinctio ex læsarum actionū  
 observationibus petenda est.

In febribus *spuma* antea nō  
 visa apparens, inchoatam si-  
 gnificat coctionem. Incipiens  
 cū febre, significat morbi lon-  
 gitudi-

gitudinem ex materia crassa,  
& imminentem capitis dolo-  
rem ex eius agitatione.

*Crassa*, & multa, significat  
maiolem agitationem, tenuis,  
& multa, efferuescentiam, præ-  
sertim si sit flaua. Color verò  
spumæ indicat hos effectus ab  
humore eiusdem coloris.

Quod ait *Bertinus*, spumam  
exiguam, & paruam significa-  
re fluxionem capitis, bullo-  
sam, renum dolorem: exilè  
in Corona, aut media Urina,  
capitis dolorem, maximum  
quidem si sit alba, urine cõco-  
lor, & in sola corona, remis-  
siolem verò, si medium urine  
occupet, omninò arbitrariũ,  
est ex causis spumæ, minimè  
necessarium. Nam quæcum-  
que fortis agitatio minutiore  
faciet spumam, seu id acci-  
dat ex itineris longitudine, &

molus



motus imperu, vt in defluxio-  
ne capitis, seù ex minori mate-  
riæ crassitie, & agitatione for-  
ti in venis à calore extraneo,  
aut à natura vincète, indican-  
teuè morbum, vel stimulat.

*Pinguedo Supernatans.*

**V**aria forma sese ostendit.  
Nunc enim olei guttas  
refert, plures, pauciores, ma-  
iores, aut minutiores. Nunc  
similis est crasso colliquamen-  
to, qualia rebus pinguibus re-  
frigeratis innatare videntur.  
Nunc exprimat veluti aranea-  
rum telam. Huius pinguedi-  
nis causa, alia est externa, cū  
scribat. *Fernel. cap. 16.* se ani-  
maduertisse ex epoto oleo ve-  
luti pūcta oleosa vrinæ super-  
natate, alia est interna, nempe  
colliquatio adipis à calore,  
quæ

quæ, vt plurimum accidit ad  
pi renali, rarius & à causa ve-  
hementiori, adipi totius cor-  
poris.

Ad pinguedinem, proximè  
accedit leuis quedam, & velu-  
ti vnctuosa materia ad album  
vergens vrinæ innatans, mo-  
do in superficie, modo in me-  
dio ob leuem feminis permix-  
tionem.

Pinguedo innatans in sanis,  
renum significat caliditatem  
citrà periculum. In ægris, cū  
virium imbecillitate, & ma-  
cie, significat totius colliqua-  
tionē, vndè Hipp. 2. Prognos. fo.  
35. scribens, pingue continuò  
innatans vrinæ referens telas  
aranearum denotare consump-  
tionem corporis. Cum viri-  
um robore, & bono habitu, ne-  
que continuò apparens, solam  
indicat renum affectionem ci-  
trà

Ioannis Prænotij 113  
grà periculum.

C A P. IX.

*De Contentis in Media Regione  
Vrinae.*

**M**Ediam regionem natu-  
raliter occupat, *εὐοπέ-  
μα*, idest suspensum, acciden-  
taliter ibidem visuntur arenu-  
læ, atomi, pili, filamenta.  
Quod scribitur in demorsis à  
canerabido, formam canum  
in vrina apparere, omnino fa-  
bulosum est.

*Suspens.*

Locus, vti, & nebulæ, habet  
aliquam latitudinem. Nam  
interdum exactè consistit in  
medio, interdū paullo ascen-  
dit versus regionem nebulæ,  
aut versus inferiorem locum.  
Est quædam illius differentia  
ratione





ratione coloris, quæ à Gal. 1. lib. 3. Epid. 10m. 4. Eneorema nubilosum appellatur, simile nubibus non atris, & caliginosis, quæ per tempestates apparêt, sed illis, quæ apparent per serenû aerem veluti disiectæ, non exquisitè atræ, aut lucidæ, sed colore medio inter album, & nigrum.

At Sennertus suspicatur aliud intelligi ab Hippocr. per hoc ἐνατάσπιτα ἐνωέτεδου, nempe suspensum ad nebulæ naturam accedens, & à medio fursû ascendens. Suspensi causa est minor leuitas, quã nebulæ, accepta, vel à ciborû tenuiorum cõditione, vel permixtione flatus crassioris, vel paullo validiori actione caloris, aut naturalis incipientis dominari maiori parti materiæ morbificæ, aut extranei miscentis, agitan-

gitantifq; humores, pro quorum conditione, & colore, varia colorari suspensum contingit.

*Suspensum* idem significat, ac Nebula, sed efficacius, 4. *Aphorif. Comm. 71.* Itaque *album*, laeue, & quale significat maiorem coctionem, quam nebula, & in corpore, ac morbo, calido, & sicco sumi potest pro nota perfectae coctionis. *Crassum* inaequale, & veluti circulare, hoc est in medio perforatum, & circumdans vitri ambitum, ferè committatur febres malignas, aut factas aut imminentes, ideo cum virium imbecillitate significat interitum, & cum bono colore, rudimentum coctionis, cum prauo, initium corruptionis. *Rubrum* denotat sanguinis effervescentiam, aut cum bonis alijs signis fit  
per-



permixtione succi terrei valde attenuati à calore viuente, vti de nebula rubra dictum est flauum copiam bilis, atrum, sine alijs prauis signis, copiam Melancholiæ.

*Arenule.*

In medio adhærentes lateribus fiunt ex paullo subtiliori materia, & à calore melius excocta, quam quæ subsidet; vnde de flauedinem, aut dilutam quandam rubedinem referre videntur, iudicium fieri à portione quadam bilis syncerioris, aut sanguinis tenuioris, & biliosi. Itaque arguunt maiorem calorem iecoris, & venarum, quam subsidentes, quæ potius renum constitutionem significant.

*Atomi,*

Sunt tenuissima, ac rotunda corpuscula, quale etiam in  
con-

conualescentium ex febris  
acutis hypostasi frequenter  
apparēt. Fiunt ex alicuius ma-  
teriæ à valido calore in minu-  
tissimas portiones diuisione,  
& exsiccatione in uasis, vt fit  
in dictarum arenularum gene-  
ratione, & excrementorum  
per adustionem cinefactione.

Itaque præbent Atomorum  
speciem, & subtiles illæ are-  
nulæ vrinæ adhuc confusæ,  
nec separatæ; & cinis humo-  
rum putridorum, atque adu-  
storum, quo potissimum con-  
stat inquinamentum foci pu-  
tredinis febrium periodicarū.  
Cum ergo ablato inquinamē-  
to cesset putredo, atomi appa-  
rentes, ex inquinamenti eua-  
cuatione, significant vniuer-  
salem febrium declinationem  
præsentem, aut imminentem,  
præcipuè si aliæ prauæ notæ

ex

ex parte aliarum conditionum  
absint.

*Pili.*

*Pilorum* similis materia,  
qualem *Gal. 4. Aphor. 76.* ex-  
cerni scribit à se obseruatum  
semicubitalem, fit ab humo-  
ribus siccatis, & torrefactis.  
De loco ambigunt scriptores,  
*Hippocr. Aphor.* citato ex appa-  
rentibus pilis colligit renes  
affici. *Gal. in Commen.* ait de-  
notari affectionem non substã.  
tiæ renum, sed temperamenti  
calidioris materiam exsiccan-  
tis. Idem tamen *6. loco affect.*  
3. probabilius putat materiam  
accipere formam capillorum  
in venis.

*Actuarius 1. de caus. Urin. c.*  
21 in vteribus quod verifi-  
milis videtur. Nam materia  
tam longa vix concrecere po-  
test in renibus tam augustis,  
neq;



neq; per renes videtur expur-  
gari posse à venis, sed pro lon-  
gitudine vreterū facile in ijs  
concrefcere possunt, & excer-  
ni. Hinc colligitur *lentum*, &  
*adherens*, esse oportere excre-  
mentum, quod per moram in  
eam formam concrefcit, qua-  
le est pituita crassa. Ergò non  
malè scriptum est ab Hippocr.  
pilos exeuntes ex vrinā signi-  
ficare affectionem renū, quia  
sine renum cohærentium ca-  
lore paullo intensiori vix po-  
test materia in vreteribus ex-  
siccari.

*Filamenta.*

*Filamentum* sunt corpuscu-  
la rotunda, breuia, suis extre-  
mitatibus aliquam præferē-  
tia inæqualitatem, vti apparet  
in corporis filamentis, ex qua  
suas turundas Chirurghi parāt.  
Fiunt ex semine concreto, vel

in vasis spermaticis, vel in proximo ductu, in quo aliqua post coitum emissa seminis portiuncule referuantur, inde siccescunt, & vrina postmodum absterguntur, mingunturque; ac in media regione magisherent ab aeream, leuemque seminis, ex quo constant, naturam.

In vrina boni coloris, & consistentiae, significant praecedente coitum, aut pollutionem, si ad albedinem vergat, significant imbecillitatem vasorum spermaticorum, & inde gonorrhæam.

## C A P. X.

*De sedimentis, seu Contentis  
in Fundo.*

**I**am Vrinae partem naturaliter occupat *sedimentum*,  
simplici-





simpliciter appellatum, quæ proprijs nominibus appellantur infundo apparentia, sunt accidentalia, nempe *Grana sanguinis, Pus, Vermes, Caruncula Arenula calculine. Materia insuper veluti farinacea, fuffraeca, squamea, Orobaa, Mucosa, lanæ.*

*Sedimentum.*

*Sedimentum* simpliciter est crassioris urinae partis in imo subsidentia, grecè *ὕψιστος*. Huius quoque locus monente Actuario non caret latitudine. Aliud enim neque totum tangit matulae fundum. neque etiam ab eo recedit, qui est locus naturalissimi optimique sedimenti, aliud totum adhærescit fundo, aliud leuiter recedit à fundo, non nihil vergens ad locum enæorematis.

**F** Natu

*Naturalissimum* est album, laeve, & æquale ex Hippocr. 2. *Prognost.* 26. & quanquam optimam coctionem arguit à laudabili calore factam, non tamen sit proximè à calore partes etherogeneas cito segregante, quia, vti dictum est, calor quatenus fortis, non segregat ad hunc, vel illum locum, sed cum locum occupat segregatum excrementum, quod ipsi debetur ex minori, aut maiori grauitate, ac leuitate, à quibus proximè pender situs diuersitas.

Fit ergo dictum sedimentum à materia probè leuigata à calore naturali medioeritatem seruante, vndè cum materia sui natura crudior, crassiorq; à calore miti (quoad operationem tamen valido, cum probè commensuratus euadat pro-

por-

portionatum instrumentū facultatis nutritiue, licet, quoad gradum non sit admodum intensus) sic attenuari non possit, vt fiat valde, leuis, potius occupat fundum, quam alias vrinæ regiones, nisi accidat ob victus pareitatem, aut alimentorum tenuium conditione excrementum magis attenuari, quo in casu non repugnat etiam sanissimi hominis contentum in media, vel suprema regione consistere. Quod, si alia excrementa non naturalia misceantur, variè collocari continget sedimenta, pro vario excrementorum colore, quemadmodum de vrinæ liquore, alijsque contentis dictum est.

Quo ad significationem, optimum est *sedimentum albū*, læue, æquale, & veluti in py-

F 2 ramida



ramidalem figuram affurgens, estque optime coctionis argumentum, *Crassum*, atque ponderosum, quale relinquunt vrinæ crassæ, quæ clarescunt, in principio vniuersali denotat morbi longitudinem in statu, cum virium robore, etiam apparentibus signis bonæ coctionis, est signum decretoriū.

*Alij colores*, flauus, rufus, ruber, niger, liuidus, idem denotant, quod vrinæ eiusdem coloris.

*Sanguinis Grumus.*

*Sanguinis*, Grumus cum vrinæ sanguineæ sit hypostasis, habet tandem causas, & significationes. Constam enim fieri apertis, ruptis, excisis hiantibusque vasis in partibus, per quas vrina transit. Paucus, & cum ardore vrinæ significat vesica, aut meatus vrinarij ex-

coria-

coriationem. Multus, & sine  
insigni ardore urinae, renes  
affectos denotat. Haec autem  
clarius indicantur à modo mi-  
ctionis; nam sanguis redditus  
urinae impermixtus, significat  
affectu veficæ, aut meatus  
urinarum, permixtus autem de-  
notat renes læsos. Sed de mi-  
ctione cruenta, eiusque signi-  
ficationibus consulendi sunt  
practici fusè de hoc argum-  
to scribentes.

*Pus.*

*Pus* in urina subsidens vari-  
at pro partium vnde excerni-  
tur, & sanguinis ex quo fit, cõ-  
ditione, nec non permixtorum  
excrementorum varietate.  
Quod ex vesica fluit est tenaci-  
us, & minus foetens, quàm quod  
fluit è renibus, partibusq; su-  
perioribus. Nam ortum trahit  
ab ulcere vesicæ, renium, aut

F 3 icco-

iecoris, aliarumue partium  
abscessibus.

*Vidi anno 1626. pleuritidem  
ingentem suppuratam, expur-  
gatam fuisse maximo exitu pu-  
ris per sputum, aluum, urinam  
in vxore Q. Peregrini Zaffara  
Tabellarii Patauini.*

Ergo apparens in morbis  
acutis pectoris absq; indiciis  
letarum partium vrinariarum,  
significat crism, exterminatio-  
nem morbi ad salutem.

*Pus fetens, & saniosum,*  
denotat corruptionem substā-  
tiæ renuum, aut iecoris. Pus  
mictū cum sanguine, aut post  
sanguinem, significat vlcus re-  
num, aut vesicæ. Vndè *Aphor.*  
*72. Sect. 4.* cum copulatiua  
particula rectius legi scribit  
*Galen.* hac ratione (si quis san-  
guinem, & pus meiat, renum,  
aut vesicæ exulcerationem si-  
gnifi-



gnificat.

*Caruncula*

*Caruncula* subsidens est renum ulceratorum portio, de cuius significatione sic scribitur, 4. *Aphor.* 76. (Quibus in urina crassa existentes *carunculae* parvae, aut veluti capilli vna exeunt, his à renibus excernitur) Tales licet fateatur *Gal.* se non vidisse, visas esse ab *Hippo.* cum de illis scribat, probabile est.

*Calculi, & Arenula.*

*Calculi & Arenula*, variant magnitudine, figura colore, differuntq; inuicem, quia materia tenuior, & diuisa, facit *Arenulas*; Crassior, & magis compacta, *calculum*, qui vel miugitur factus, vel in fundo matule formatur, illicque tartari instar valide adhærescit. Eadem utrobique materia, cras.

F 4 la

sa nimirum per tenuiorū partium diuaporationem concretioni apta, quam si ab eventu, aut dispositione lapidosum, aut Tartareum succum nominare velis cum quibusdam, nihil refert; at non idem utrobique agens. Nam in corpore concrefcit à calore, aut intensiori, & cito indurante, aut remissiori. & agente per moram; In vrina concessit potius lenta hypostasi. proprii aq; frigiditate, & lentore *Arenula* albæ à vesica proueniunt, Flauæ, & rubræ à renibus. Hinc simpliciter prolatus *Hippoc. Aphor. 73. 4. sect.* (Quibus in vrinis arenosa subsistunt, his vesica laborat calculo) est falsus; Nam *Arenulas* absq; vlllo calculi indicio frequentissimè excerni conspiciamus *Lapilli rubri*, aut flauia renibus pariter excer-

nun-

*Ioannis Prauotij. 129*  
nuntur. *Albi* verò à vesica, seu  
ex arenularum concrecione  
rudimentum acceperint, in  
lapidis meditullio conspicuū,  
seu sint fiunt mucosi succi in  
vesica hypostasis, & mora.

*Vermiculi.*

*Vermiculi* aliquando subsi-  
dent in vrina *Card. 4. Aphor.*  
*com. 76.* refert se eminxisce plu-  
rimos, albos, breues, tenuissi-  
mos, diū viuentes, vix pedicu-  
li dimidium æquantes. Tali  
verminosa mictione laborans  
æger polonus ab hinc bien-  
nio fuit Patauij.

Sed, & generari possunt in  
vrina mox reddita, quemad-  
modum sæpissimè accidit in  
putridis alui egestionibus le-  
uiter consistentibus etiam ad  
visum illicò generari multos  
albos vermiculos, quales à  
*Cardano* describuntur, & in

F 5 tota



tota egritudine, quæ *Alexandrum Vigontiam præclarissimum huius Urbis Medicum*, interfecit, continuè apparuerunt. Fiunt ex sordida quadam, putrique materia, cum vel citrà vlcus vesicæ, eamq; indicant.

*Farinacea Sedimenta.*

*Farinacea sedimenta* dicuntur ab *Hippocr. 2. prognost. 28.* κριμνώδες ὀπώρασις; unde cum κριμνῶν significat crassam farinæ partem, quæ exactiorē molæ confectionem præterfugit, huic dictam hypostasim affimilari par est. *Gal. in comm.* huius loci, putat fieri à calore, vel adurente sanguinem crassiforem, vel colliquante carnē, ità vt tenella, ac recens in ichorem resoluatur, duriuscula verò per exsiccationem fiat similis us, quæ friguntur in tartagine, ità ò concludit rectè vocari

cari ab Hippocr. mala hæc, sedimenta, quod insignem colliquationem significant.

Verum non male obiicit *Saxonia de Urinis cap. 7.* Carnem colliquatam non consistere, sed liquidam esse, præterea venas, stante vita non esse ita vacuas, vt præficcitate veluti abscedere, & squammari possint internæ tunicæ.

Addit *Argent.* in Febris hecticis, & colliquatiuis talia sedimenta semper apparitura, vndè statuit *Saxonia*, si quid abscedit à carne, & venis, id fieri per modum vlceris, & erosionis, ideoque talia sedimenta esse praua, non quod colliquationis sint notæ, sed humoris prauis, & acerrimis, qui vesicam vlcerare possint; quales fuisse testatur *Gal. lib. de cibis mali*, & succi, in quadam

pestilentia', in qua ab humorū  
acrimonia vesica, exulceraba-  
tur.

Quid si dicam *Farinaceum*,  
sedimentum, etiam fieri posse  
à pituita crassa per aduſtionē  
versa velut in cinerem? Qua-  
lem admittit Auic. & Atram-  
bilem ex aduſtione pituitæ no-  
minat.

In gonorrhœa quoque *Fari-  
naccam*, quod non modo in-  
natare, sed etiam subsidere  
conspicitur, sed similis polli-  
ni farinæ, quā *κρίνω*, & cras-  
siori parti.

*Furfuracea, & Squammea.*

*Furfuracea, & Squammea*,  
vt inter se, ita à farinaceis dif-  
ferunt secundum magis, & mi-  
nus. Dicuntur, & foliacea,  
*Hippocr. 2 prog. 28. πέλανος* esse  
*ὕμωσάσες*, pro *πέλανου* autem  
intelligunt græci Folium, aut  
lami-



laminam, aut quid quid longi-  
tudinem, & latitudinem ha-  
bet, absque notabili profundi-  
tate. Gal. loco citato, ait, fieri  
à flammea caliditate solidas  
partes inæqualiter consumen-  
te. At 4. Aph. 77. addit etiam  
humores crassos fictos, & pe-  
rastos furfuraceos fieri. Præ-  
terea à vesicæ, & venarum sca-  
bie, per quam tunice abrasæ  
per urinas reddantur. Vnde  
*Capinac c. 31.* triplex statuit se-  
dimentum furfuraceum, Ab  
ulcere vesicæ, A' solidorum  
colliquatione, A' sanguinis  
exustione.

Ceterum, ut dictum est, so-  
lidorum colliquatio, vix tale  
quid facere potest, nisi inter-  
uentu arefactionis, & scabiei.  
*Hippocr. certè 4. Aph. 78. & 81.*  
ex furfuraceis, & squamosis se-  
dimentis, scabiosam, & ulce-  
ratam

ratam vesicam significari scribit. At in febris ardentibus nihil vetat etiam colligi exustionem humorum, & ab rasionem venarum, si absint male affectæ vesicæ indicia.

*Orobaum.*

*Robæum Sedimentū Actua.*

επιροσας οροβο. ocuntis assimilatur grano orobo, tam figura, quam colore, vnde Hordeacea etiam sedimenta, hoc est similia grano hordei, à Gal. 5. in 6. epid. t. 15. quetā appellantur. Sennertus putat comprehendī ab Hippocr. nomine sedimenti farinacei, cumque crassiores illius partes non nihil rubescunt, o. obeum fieri. Galen. loco citato statuit fieri à colliquatione, carnis quidem, si referant hordeum magnitudine, & duritie, non albido colore (res carnem intelligere vide-

videtur iecoris substantiam )  
lienens verò, si ad nigredinem  
vergant, & carnosiora omnia  
à renibus deriuari.

*Mucosum Sedimentum.*

*Mucosum Sedimentum*, colo-  
re album, consistentia verò  
glutini simillimum quandoq;  
reicitur. *Petrus Gennarus Sa-*  
*cerdos*, *Borgi Vallis Suganae*,  
per triennium integrum red-  
debat quotidie ultra libram  
vnam, cum dimidia huius se-  
dimenti, adeò tenacis, vt cum  
ex altissima fenestria, in fluiuū  
effunderetur, tota sibi coherēs  
nec vlla parte diuisa, fluiuū  
tangeret, & matulae adhuc ad-  
hegeret. Eundem effectū ob-  
seruavi in *Nobili Brixiano, Lu-*  
*donico Federici*, cum eodem  
prorsus sedimento copioso, ac  
tenaci. De hac materia inale  
sentit, *Fernelius c. 16* eam, si cū  
dolo-



dolore mingatur, significare vesicæ calculum, aut sordidū vesicę vlcus, quæ verò mingitur sinè dolore, prouenire ex crudorenum, aut circumpositarum partium vlcere, vel ab lcessu. Qua enim ratione à tãzillarum partium vlcere tã copiosa materia fluere posset? an non partes totas consumi oporteret? Vterque æger memoratus vnicum reddebat cū dolore, & mingendi impedimentos imo Sacerdos non nisi eleuatis cruribus minger e poterat cum perpetuo sensu ponderis.

Tamen in mortuis, & apertis præter mucii copiam in vijs vrinariis, nullū calculi, vlcensuè vesicæ, aut renum apparuit.

Ergo veluti concedendum est Fernelio, vesicam calculo affe-

affectata tale mucosum excrementum emittere, seu sit vesicæ excrementum, & in ea generetur, & censet *Laurentius Iouert. de dist. urin. c. 1.* serio à renibus, partibusque superioribus defluens vesica vitio, & imbecillitate circa calculum postea concreseat, vt sentit *Fernel.* (quod verisimilius est) ita ipsæ experientiæ repugnât, cum negat, pituitam mucosam à Superioribus partibus, capite scilicet, & ventriculo per renes deffluentē citrà vlcus, calculi nè interdum emitti.

At laxatis renum vasis à mucosa uateria vna, inquit efflueret sanguis nequaquã. Nam per venas multa alia excrementa cum impetu repurgantur ad vrinas, aluum, hæmorrhoides citrà sanguinis effusionem, natura expellente noxiam, &

reti-

retinente bonum.

Itaque concludendum est, mucosam materiam cum dolore mixtam, esse magnum calculi, vesicæque iudicium, non tamen necessarium, nisi alia signa calculi comitentur, semper autem denotare abundantiam cruditatum in superioribus partibus, quæ, & calculû, & vrina retentionem minatur. *Nobilis ille obiit retenta vrina, & ad testes conuersa mucosa materia, vbi spatio bidui ortus fuit tumor durissimus, capitis humani magnitudine, qui eodem die ex caloris suffocatione, atq; extinctione in gangrenam degenerauit.*

*Laneum.*

*Laneum* denique, aut veluti Gosippinum sedimentum ab Arabibus proponitur, sic dictum, quia simile sit lane pexæ, aut



aut gossipio carminato. Fieri  
aiunt à peculiari quadam dis-  
positione excrementorum vte-  
ri fetum gerentis, ideoque v-  
teri gestationem certò signifi-  
care. Has tamen esse nugas  
quotidiana refellit experien-  
tia, cum tale sedimentum nul-  
lo tempore gestationis vteri à  
multis præstantissimis viris ob-  
seruari potuerit. Neque purã-  
dum est Hippocratem, in signis  
ex vrina recensendis accuratissi-  
mum, hoc grauidationis si-  
gnum, si certum esset, ac perpe-  
tuum, omissurum fuisse.

Sed esto. Aliquando sane  
obseruatum sit. Nulla erit alia  
ipsius causa, quam aucta mate-  
ria naturalium excremento-  
rum, quæ ab eam causam oc-  
cupantia fundum matule ad  
notabilem eminentiam, lanam  
veluti pexam emulantur, leuia  
cum

cum sint, alba, & æqualia, ac propterea non erit proprium grauidarum excrementū, sed multis aliis commune, in quibus naturalis contenti materia ob causas suprā commemoratas, & priuatim in mulieribus ob retenta menstrua coaceruari potest.

Atque hæc sunt, quæ circa vrinarum naturam, differentias, & significationes consideranda proposita erant ab initio. Illud solum restare videtur ad exactam huius argumenti cognitionem; vt ostendatur, quid vrinas inspecturo sit obseruandum vt Vromantia ex causarum hypothesis deducta fiat certa deinde breuiter colligatur ex dictis, quid ex vrinis certò significari possit.

CA-

CAPVT XI.

*Quid sit obseruandum in  
Vrina inspectione.*

**V**T rectum ex vrinae inspe-  
ctione fiat iudicium, cō-  
siderandum est, quando, &  
qua quantitate excipienda sit  
vrina. Quando in quo vase, in  
quo loco sit inspicienda, quid  
mictionem præcesserit, & quā  
habeat proportionem ad natu-  
ralem vrinam, ad quā omnes  
recessus egrorum, vel male  
sanorum corporum examinan-  
tur.

*Tempus Mictionis.*

*Quo ad tempus mictionis, &  
si vtile sit vrinam quocumque  
tempore redditam inspicere,  
melius tamen fit indicium ex  
ca,*



ea, quæ redditur peracta cibi  
 concoctione, quã mox sequi-  
 tur excrementorum separatio.  
 Hoc tempus vniuersaliter de-  
 finiri non potest, quia pro ro-  
 bore caloris, quantitate, &  
 bonitate ciborum assumpto-  
 rum celerius, aut tardius per-  
 ficitur alimentum.

Id autem videtur opportu-  
 nius, quod prandium, & cœ-  
 nam antecedit. Quia tamẽ per  
 quietem, & somnum melior  
 fit concoctio, vis cõcoctionis  
 magis eluceffit in vrina, matu-  
 rina quam pomeridiana. Quæ  
 statim sumpto cibo redditur,  
 cruda necessario apparet, eoq;  
 magis, quo liberalior fuerit  
 potus. At in febribus perior-  
 dicis melior vrina redditur  
 tempore interualli, aut decli-  
 nationis particularis, si sit con-  
 tinua. Quod si alio tẽpore red-  
 dita

data conspiciatur, conferatur  
semper tempus cum tempore  
seruata proportione, adeò vt  
vrina reddita v.g. in augumē-  
to paroxismi, conferatur cum  
ea, quæ reddita erat in augu-  
mēto paroxismi antecedentis  
vrina declinationis, in vrina  
preteritę declinationis, & sic  
deinceps. Quantitas, inspec-  
das. Tota autem vrina vna vi-  
ce reddita excipienda, quia in  
parte non apparent tota con-  
tenta, vrinæ verò pluribus vi-  
cibus emissę nimiam diuersa-  
rum substantiarum, variorum  
que contentorum pariunt con-  
fusionem.

*Tempus inspectionis.*

**T**empus inspectioni acco-  
modatum illud videtur  
quando vrinę cōtenta propri-  
um

um locum occupauerint, & an  
tequam vrina corrūpi incipi-  
at ab ambiente. Id autem præ-  
cise determinari nequit, neq;  
perpetuum est, quod ait *Auic.*  
post I. horam ab vrina reddita  
factas esse contentorum sepa-  
rationes, & post sex horas in-  
cipere corrumpi. Nam quibus-  
dam citius, quibusdam tardi-  
us corrumpitur. Ergo vt inspi-  
ci possit de fēdatur à nimio fri-  
gore, & ventis, alias turbatur,  
item ab igne, radiisque solari-  
bus, quia indè fit tenuior, at-  
que splendidior.

Quid si vrinam diligenter  
asseruatam corrumpi contingat,  
aut certè turbidam reddi,  
& non clarescere erit uè negli-  
genda illius inspectio? Mini-  
me gentium. Nam vrina quæ  
turbatur, non simpliciter cor-  
rumpitur, vt falso supponit,

*Mer-*



*Mercur.* sed talem subit altera-  
tionem, quæ emendari potest,  
propterea videmus urinã mo-  
derato ignis, & quod melius  
est, aque calidæ calore in pri-  
stinum statum restitui, seruato  
modo prioris consistentiæ, co-  
loribus, & contentis, ergò re-  
stituatur, & finatur tantisper  
quiescere cõtenta, vt fieri pos-  
sit iudicium, si non tam ex-  
actum vti ex vrina incorrupta,  
certè non contemnendum.

*Exturbata* etiam, antequã  
restituatur, aliquid colligi po-  
terit, quoad calorem, & con-  
sistentiam. Nec est cur *Argen-  
ter. c. 3.* hoc nomine rideat *Io.  
Bap. Montanum* turbatas etiam  
vriñas inspicere solitum, cer-  
tum est enim vriñas, quæ fue-  
rant crassæ plus ostendere se-  
dimenti, quam, quæ tenues, &  
pro maiori illius, aut minori

G

flaue

flauedine, rubedine, albedine,  
 & aliquam haberi posse co-  
 niecturam, qualis fuerit vrinę  
 color antequam corrupta pere-  
 tur. Eam verò, quę turbida  
 mingitur esse inspiciendam, &  
 maximas habere significatio-  
 nes pater ex dictis superius de  
 vrina perturbata.

*Vas Idoneum.*

*Vas Idoneum* sit clarum, niti-  
 dum diaphanum, omnisque  
 expers coloris, vt non aliter  
 nobis appareat vrinę substā-  
 tia, & color, vt reuera se habet.  
 Sit enim non nimis latum, vt  
 referre possit cōtentorum va-  
 rietatem, qualia sunt commu-  
 nia vitra vrinaria à fundo pla-  
 no in campanę formam assur-  
 gentia. Tenendum est autem  
 vas immotum, & circumdu-  
 cendo,

cendo, vt Barbari olim medici facere consueuerant, ne cōfusione contentorum vitietur quoque substantia, atque color vrinę.

*Locus aptus.*

*Locus aptus* censetur neque obscurus, neque nimium luminoso, nimium enim lumen apparentes colores inducit, obscuritas veros occultat. *Valles. c. 3.* rectè monet mutandum esse situm, & vas immotum tamen, circumducendum, ita ut omnia vrinę accidentia dignoscantur; nam contenta obiectu lucis melius discernuntur; colores autem melius apparēt in loco ombroso, non nimium obscuro, itaque si locus nimis clarus videatur; consideratis contentis, obicienda est ma-

G a nus,



nus. vel brachium, vt lumen interceptum colores non fallat.

*Mictionem Præcedentia.*

*Quæ mictionem, præcesserūt* idè etiam exploranda, quia pro ratione assumptorum, cibi nempe, potus, & medicamentì, varias subit vrina mutationes. Notum est ex dictis, vrinam à rhabarbaro reddi flauam, à rubia, rubram, à the-rebinthina odoratam, à cassia passeam, id est ex rubro nigricantem, à nimio potu, aquosam, à diureticis, multam, &c.

*Proportio Urinæ.*

*Sed proportio, urinæ ad Naturalem facile primas tenet in hac consideratione, cum gradus coctionum, & cruditatum*  
men-

mensurantur à similitudine,  
vel dissimilitudine cum vrina  
optima, & naturalissima.

Ceterum hæc comparatio  
non eadem ratione instituitur  
in sanis, & ægris. In sanis me-  
timur recessus facta compara-  
tione ad illam vrinam, qua  
conueniret sanissimo, ac tem-  
peratissimo indiuiduo speciei  
humanæ, si daretur. At in æ-  
gris metimur recessum facta  
comparatione ad vrinam op-  
timam, quæ cõspiciebatur per  
statum optimæ valetudinis in-  
diuidui, priusquam ægrotaret,  
cum sanatio sit reductio cor-  
poris ad sanitatem ipsi debitã  
ex naturali ipsius constitutio-  
ne, non autem ad optimam sa-  
nitatem conuenientem corpo-  
ri temperatissimo.

Illi ergò medico facile fue-  
rit conditiones vrinæ ægorũ

G 3 explo-

explorare, ac perfectè defini-  
re, qui consuetudinem cum  
ijsdem sanis habuerit, qui ve-  
ro ad ægrotum sibi ignotum  
fuerit accersitus, tanto facilius  
decipietur, quanto imbecillio-  
res sunt coniecturæ ex commu-  
nibus procedentes, quam ex  
proprijs.

In hoc tamen casu fingenda  
est animo urina naturalis, quæ  
rationabiliter conuenire de-  
buerit homini priusquã ægro-  
taret, vt recessus apparentes  
ad eam examinari possint. In-  
qua urina constituenda, atten-  
dere oportet causas, quæ uri-  
nam non generant quidem,  
aut corrumpunt, sed citra mor-  
bum variè iniunctas, quæ à  
medicis Causæ commutatio-  
nis Urinarum appellantur,  
suntque, Temperamentum,  
Ætas, Anni tempus, Regio,  
Coeli.



Cœli status, Vitæ genus, ratione cibi, & porus, motus, & quietis, somni, & vigilia, nec non animi perturbationum.

*Temperatura Calide*

*Vrina.*

*Temperatura*, calide conuenit vrina citrina, aut subflaua, ad tenuem vergens, cum pauco sedimento, aut eius loco suspenso, vel nubecula. Frigidæ vero conuenit vrina minus colorata, alba scilicet, aut sup-pallida, modo tenuis, modo crassa, modo cum exiguo, modo cum copioso contento, pro ut cruda excrementa contingit, nec retineri propter obstructions, & caloris imbecillitatem, vel excerni; siccitas coniuncta auget hæc omnia signa, nam vtramque qualitatem facit actiuorem.

G. 4. *Aetas*

*Aetas* cum fit quedam mensura temperamenti, habet vrinas illi proportionatas.

Pueris ob ingluuiem, & humiditatem conuenit vrina crassior, ad album vergens, cum Sedimento copioso, ob quam causam Hippocr. 2. prognost. t. 33. in pueris vrinam aquosam esse deterrimam, quia nempe plurimum distat à suo statu naturali.

*Iuuentuti* conuenit vrina potius vergens ad tenuem, colorarior, & cum paucis contentis. Senectuti conuenit vrina dicta frigidi temperamenti.

*Aetates Media*, medias habet vrinas inter extrema.

*Adolescentia* habet omnia moderata, illique magis conuenit vrina optima, quoad substantiam, colores, & contenta.

Se-

## Sexus.

Sexus iam dictis proportio-  
ne respondet. Nam viris ob  
acutiorem calorem, & maiora  
exercitia conuenit vrina tenu-  
ior, coloratior, & cum paucio-  
ribus contentis. Mulierum vri-  
na est pallidior, crassior, & cū  
sedimento copiosiori, ob mi-  
norem calorem, motus mode-  
ratiores, & frequentem per-  
mixtionem alicuius excremen-  
ti ab utero. Cœterum hæc om-  
nia sunt eiusmodi, vt prò va-  
ria causarum mutatione, variè  
mutari possint, atquè adeo cō-  
spici possit vrina coloratior in  
sene, pallidior in iuvene, te-  
nuior in muliere, &c. vt pro-  
pterea vanum sit profiteri ex  
sola inspectione vrinæ conie-  
cturam de ætate sexuque, &  
uteri gestatione.

Nam *Laneum* illud sedimē-

G 5 cum



tua fabulosum est, & si quod contentum, aut crassities illarum vrinis accedit, fieri etiam potest ab aliam causam menstruo, absque grauidatione. Pariter fabulosum est, experitiæque contrarium, quod ex Rhase, & Auicena scribit Nicolaus Florentinus tract. 5. doct. 3. cap. 18. Vrinas virorum quando mouentur turbari, & quidem versus superiora, vrinas verò mulierum esse subtiles, & quando mouentur non turbari, & in superficie spumam rotundam apparere ob admixtionem viscidæ materiæ.

*Anni tempora.*

*Anni tempora sic mutant vrinas, quemadmodum temperantur, & inde prouenientes humores. Per proportionem respond.*

spondet adolescentiæ. *Aestas*  
iuuenturi. In *Autumno* remitti  
incipit calor, & tenuitas ob bi-  
lis diminutionem, esuumque  
fructuum, vnde augetur sedi-  
mentum. In *Hyeme* probabili-  
ter censet Mercur. vrinas ver-  
gere ad mediocres, & bonas,  
cum ex adaueto calore natio  
coctiones perficiantur. Quia  
tamen ob frigoris actiuitatem,  
copiosum victum, & corporis  
constipationem augetur pitui-  
te proventus, inde fiunt vrinæ  
paullo crassiores, pallidiores,  
& cum pluri sedimento, quam  
conueniat optimæ vrinæ.

*Regio, & Cœli Status.*

*Regio, & Cœli Status* respon-  
det anni temporibus, ideoque  
prò caloris, aut frigoris excel-  
su, varij humores gignuntur,

G 6 à qui

à quibus urinae immutantur.

*Vita Genus.*

*Vita* genus miram facit varietatem, nam pro pauciori, aut pleniori victo, calidiori, aut frigidiori, potu liberaliori, mutatur color, substantia, & contentum, uti ex causis differentiarum propositis constat. sit moderatum exercitium, quia nativum roborat calorem, reddit urinam in omnibus moderatam. Immodicus labor minuit contenta, auget colorem. *Sennertus* ait augere quoque crassitiam, ob caloris nativi debilitatem. Verum videtur ab initio fieri potius tenuitas ob calorem, & siccitatem non naturalem. Tandem verò urina potest crassescere ob permutationem excrementorum à debili calore genitorum. Otium reddit



reddit urinas decoloratas,  
crassas, cum multa hypostasi.  
Vigilia nimia primo auget co-  
lorem, deinde minuunt. Som-  
nus moderatus urinam dar o-  
ptimæ notæ. Immodicus pri-  
mo auget colorem minuitque  
substantiam, & contenta; desi-  
nente verò calore agere in ali-  
mentum, rursus debilitatur, &  
à perfectæ coctionis signis de-  
generem urinam facit. Animi  
quoq; affectus diuturni (nam  
breues, & momentanei vix no-  
tabilem faciunt differentiam)  
prout calorem, aut frigiditatē  
inferunt, perspirationem au-  
gent, aut retardant, urinae co-  
lorem, substantiam, atq; con-  
tenta immutant.

CAPVT

## CAPVT XII.

*Quid ex urina certò signifi-  
cari possit.*

**C**VM tot, tantasque mutationes, recipere possit urina ob varias causas, etiam in homine sano, temerarium sit ex sola urinae inspectione omnia velle prædicere: quini- mo consultius est, in illis etiam casibus, vbi ex urinis multa rationabiliter conijcere possu- mus; nihil cõcludere sine alio- rum accidentium diligenti col- latione, cum dictum sit, etiam cum urinis optimæ notæ quos- dam maligna febre correptos interire..

Soli ergò urinae, multò mi- nus fidendum, quam pulsui, vndè nobis naturæ vigor pro-  
proxi.

proximè innotescit, maximè  
in euentuum prædictione.

At in partibus affectis signifi-  
candis plus certitudinis habe-  
re videtur vrina, quam pulsas,  
cum vrinae perfectio, illique  
commixtorum excrementorū  
generatio, atque segregatio  
multarum partium opera per-  
ficiatur.

Hoc autem quatenus fieri  
possit in genere demonstre-  
mus, nè particulares significa-  
tiones, in differentiarum ex-  
plicatione propositæ frustra  
repetantur.

*In primis* ex vrina cognosci-  
tur dispositio iecoris, & vena-  
rum, vt docet *Gal. 2. prognost.*  
*t. 26. l. 1. de crisibus 7. 3. de*  
*crisib. 3.* Nam excreta osten-  
dunt dispositionem loci, vnde  
excernuntur. *1. de lucis affectis*  
*c. 5.*

Se-



*Secundo* dignoscitur ex urina dispositio renum, vesicæ, & meatuū per quas diffluit, quia materias in ijs contentas seculū deferre potest. De alijs partibus sumuntur coniecturæ ex urina magis secundario, quatenus consensum aliquem habet cum venis, per quas, vel recipere possunt excrementa urinae permixta, vel transmittere excrementa, quæ urinae miscantur.

*Hac ratione* ex urinis turbatis confusis prædicitur imminens capitis dolor, ex urinis flauis redditis aquosis in febribus acutis prædicitur deliriū. Ex urina aquosa significatur imbecillitas vetriculi, ex spuma, catharrus à cerebro,

Harum tamen partium status ex urina sola non significatur certo, nisi alia quoque sympto-

ptomata examinentur.

*Hinc patet* vrinarum inspectionem magni esse momenti in febribus, cum calor extraneus diffundatur per venas, & arterias, in alijs morbis non esse omnino negligendam, quia cum alijs Signis ad locum affectum attinentibus non leuè præbet coniecturam, si non ad loci notitiam, saltem ad iudicandum vitæ periculum, cum febris sepe alijs affectibus superueniat.

Non est audiendus *Herc. Sa-  
xon.* qui cap. 18. statuit etiam ex vrinis cognosci posse intemperiem aliarum partium determinatarum, vti neruorum, pulmonum, cerebri, licet intemperies venis non communicetur, quia nempe ferum fit vehiculū sanguinis ad illas partes, ac propterea ab illis  
par-

partibus afficiatur: Nam illud  
 proueniens a d: partem læsam  
 respectu portionis hęrentis in  
 aliis uasis exiguum est, nequę  
 totum per urinas repurgatur,  
 sed partim per sudores, & in-  
 sensibilem transpirationem;  
 itaque permixtione illius exi-  
 gui cum maiori quantitate al-  
 terius, obicuratur signum af-  
 fectę partis, quod indę sumi  
 posset.

*Sunt* qui ex febricitantium  
 urinis desumāt certa, ut aiunt,  
 signa salutis, & mortis citrā  
 considerationem causarum,  
 propositarū ex occultiori qua-  
 dam proprietate, a qua etiam  
 res alias significari contē-  
 dunt.

*Accepi a Fide degno, Medicū*  
 Federici Comitis Palatini Bel-  
 lo Bohemico nunc in Cimbriā  
 translato bonis omnibus exuti  
 soli-



folitum fuisse de vita, & morte certo pronunciare hoc experimento. Habebat adipem Ceruinum certa ratione præparatum, cuius portio vrinae imposita, si supernatabat, certam denunciabat salutem, si subsidebat, infallibilem interitum.

*Sic exitiale Signum aiunt,* si in alicuius vrina hederaceum folium per noctem relictum post die palleat.

*Signum aiunt fecunditatis,* si grana hordei macerata vrina cito germinent. Sed hæc, vt incerta, & à maiori, & minori fermentatione à proprijs falis commixtione pendentia minoris sunt momenti, quam, vt inter alias probabiliores medicas coniecturas recèleri debeant.

*Illud denique corollarij loco*  
CO

eē monendum est, nē obiter  
 inspecta vrina semper prædi-  
 camus, cum in medici ludibri-  
 um, & ad explorandam artis  
 certitudinem alij liquores suo  
 patientis vrina interdum sup-  
 ponantur, si obtrudatur liquos  
 ab vrina defferens, dignosce-  
 tur certo certius odore, dein-  
 de vrina quanto magis remo-  
 uetur ab oculis eo apparet te-  
 nuior, & clarior, quanto pro-  
 prius admouetur, eo videtur  
 crassior, & minus clara: alijs  
 liquoribus (vino excepto) cō-  
 trarium accidit. Tertio vix da-  
 tur vrina sinē aliquo conten-  
 to, quod in alijs liquoribus  
 non apparet.

*Falsum est, quod ait Argent.*  
*cap. 12. in vrina apparere ato-*  
*mos sursum deorsum agitados*  
*in alijs liquoribus minime; nā*  
*vrinæ omnes non habent ato-*  
 mos,

mos, & aqua Tyberina vino mixta tales atomos ostendit.

*Si obtrudatur, Urina alterius hominis, prò urina ægri, id omnino detegi non potest, nisi ex animatis omnibus ægri accidentibus, quibus fortasce talis urina repugnabit. Atquè illa fraus damno potius erit ægro, quam contemptui medico perito, qui tot ex urina inspecta diuinare posse non profiteretur, quot impericula vulgus arbitratur, & ineptè requirit.*

*Si obtrudatur urina animalium, loco urinae patientum, dignoscetur, quia turbidiores sunt humanis, & odorem magis virosi spirant. In specie autem scribit *Avic. Urinas Asinorum* esse turbidas, crassas, & sicut butyrum liquefactum, *Bovum*, & *equorum* esse confusi*

simi



miles, nisi, quod sint magis citrinæ, & parte superiore clariores, inferiores turbidæ. *Omnia* esse albas ad citrinum inclinantes, clariores, ac tenuiores urinis asinorum, & absq; sedimentis. Atquæ hæc dicta sint de Urinis, & quæ ex illis fieri potest rationabili Diuinatione.

FINIS.

# INDEX

## CAPITVM.

<b>C</b> ausa Vrinarum. Cap. 2.	
Contenta Vrina.	66
Contenta vrina in specie.	49
Contenta in Regione supra vrina.	ibid.
Contenta in Media Reg. vri.	113
Contenta in fundo vrinæ.	120
Contentorum Causæ in genere.	70.
Contentorum significationes in genere.	ibid.
Definitio Vrinx.	1
Differentie vrinarum.	9
Differentia vrinarum à qualitate.	29
Inspectio vrinae quomodo.	141
Odor vrinarum qualis.	59
Prædictiones ex vrina quæ.	158
Quantitas Vrinx qualis.	62

FINIS.





